DE TURANII RUFINI PRESBYTERI AQUILEJENSIS FIDE ET RELIGIONE DISSERTATIO CUI...

Giuseppe Onorio Marzuttini

DE

TURANII RUFINI

PRESBYTERI AQUILEJENSIS

FIDE ET RELIGIONE

DISSERTATIO

CUI ADJICIUNTUR

PROPOSITIONES THEOLOGICAE

VETERIS ECCLESIAE AQUILEJENSIS

MONUMENTIS SCRIPTISQUE SUFFULTAE

A JOSEPHO HONORIO MARZUTTINI

FOROJULIENSI

PUBLICE PROPUGNANDAE

IN CAES. REG. STUDIORUM UNIVERSITATE PATAVINA

AD SACRAM THEOLOGIAE LAUREAM

ADIPISCENDAM

PATAVII

TYPIS CARTALLIER

M. DCCC. XXXV

MODESTO FARINA

EPISCOPO PATAVINO

EQUITI CORONAE FERREAE

A CONSILIIS AUGUSTI

F

Iamdudum optabam, Praesul amplissime, ut aliqua mihi se offerret occasio observantiae erga Te meae, et addicti omnino animi testificandi. Cum enim me studiorum causa ex patriis sedibus huc advenientem perhumaniter excepisses, sacrisque doctrinis penitus absolvendis intentum Tuo patrocinio fovere numquam destitisses, illud a me Tibi deberi intelligebam, ut ingenii qualiscumque mei aliquos saltem fructus nomini Tuo maxime dedicatos velim. Quoniam igitur nunc iubeor ad Theologiae Lauream rite af-

sequendam Propositiones quasdam, ex omnibus Theologicis disciplinis delectas, publici juris facere, ac indicto veluti certamine propugnare, placuit eas Tibi, praestantissime Antistes, una cum Dissertatione DE TURANII RUFINI PRESBYTERI AQUILEJENSIS FIDE ET RELIGIONE obsequenter dicare. Fateor me in hoc Opere plurimum studii ac laboris adhibuisse; ut propterea spes mihi aliqua affulgeat veniae a Te comiter obtinendae. Quod si pro Tua liberalitate mihi detur, nihil ultra requiro.

In obsequii argumentum

JOSEPHUS HONORIUS MARZUTTINI.

Quod totius antiquitatis principibus viris ac prope luminibus accidit, ut et qui proximi iisdem aetate essent ac fere aequales, discrepantia omnino judicia de eorum vita proferrent, et qui posterioribus saeculis deinceps floruerunt, nihil sibi certi suppetere quaererentur, id et Turanio Rufino Aquilejensis Ecclesiae Presbytero contigit, quem a nonnullis inter haereticos numeratum, a nonnullis vero caelestium quoque ordini adscriptum intuemur (1). Profecto si Hieronymo, et caeteris qui Hieronymi partes sequuti sunt, fidem habemus, a Rufino in primis nostro non modo Origeniana illa dogmata, quae toto tum Oriente grassabantur, sed etiam Pelagiani errores, quibus Occidens universus post ejus interitum perturbari affligique caepit, disseminati ac propugnati sunt, sic prorsus, nemini ut mirum videri debeat, si recentiores quoque viri cum doctrinae, tum etiam integritatis laude spectatissimi Baronius (2), Pagius (3), Garnerius (4), Tille-

(1) Florar. Sanctor. ad diem XIV. jun.

(2) Annal. Eccl. ad ann. 402.

(3) Supplem. ad Baron. ad ann. 402.

(4) In notis ad Epist. Anast., et in Hist. Pelag. Disert. I.

montius (1), neque non Peronius (2) cum Natali Alexandro (3), Anastasii Pontificis verbis aut perperam acceptis, aut aliquantulum immutatis, eumdem jam lata sententia perculsum condemnatumque affirmaverint. Contra autem, si totam ejus vitae rationem nobis ante oculos ponimus ac diligenter inspicimus, licet ipsum qua Romanorum Pontificum Sanctissimorum Siricii, Anastasii, Innocentii praeterea colloquio, et epistolarum commercio honestatum cognoscere, qua eumdem ornatum prope intima consuetudine officiorum cum pluribus, qui et Episcopali fastigio insignes per eam aetatem fulserunt, Chromatio Aquilejensi, Concordiensi, ut credo, Laurentio, Brixianorum Gaudentio, Mediolanensium Venerio Praesulibus amplissimis, quibus adde, si placet, Petronium qui Bononiae, Paulinum qui Nolae (4), Augustinum qui Hipponae, Joannem qui Hierosolymae Religionis principatum tenuerunt; quibus omnibus procul dubio propudiosum, sicuti ar-

(1) Opp. Tom. XII. artic. 100.

(2) Respons. ad Reg. Britann. cap. 33.

(3) Hist. Eccl. Saec. IV. cap. VI. art. 32. — His adde Benedictum XIV. Pontif. Max. in Praef. ad Edit. Nov. Martyrol. Romani.

(4) Referam hic tantum Paulini Nolani verba, quae sunt: « Attamen » quae de meo non habui, de fratris unanimi opulentiore thesauro » petivi: et ipsam adnotationem, quam Commonitorii vice miseras, » (o Severe), literis meis inditam, direxi ad Rufinum presbyterum, » sanctae Melaniae spiritali in via comitem, vere sanctum et pie doctum, et ob hoc intima mihi affectione conjunctum. » Epist. ad Sulpic. Sever. XXVIII. alias XI.

bitror, ac prope nefarium videri debuisset cum haeretico homine teñeri vel aliquo familiaritatis officio. Quod nimirum cum secum animo reputarent Scriptores illius aetatis, aut non longe remotae, prae caeteris Palladius Helenopolitanus (1), Sidonius Apollinaris (2), Cassianus (3), aliique, Gelasii Pontificis summi (4) judicio plane adhaeserunt, qui Turanium Rufinum, virum vere christianum, religiosum et pium appellare non dubitabat; recentiores vero plurimi, iidemque probatissimi homines Cardinalis Norisius (5), Bollandus (6), Fontaninius (7), insuper Bernardus Maria de Rubeis (8), de quorum profecto integritate ac doctrina nemo ambigit, Aquilejensis Rufini causam suscipere neutiquam sibi verendum esse judicarunt. Cum itaque ab eo usque tempore, quo Patrum Aquilejensis Ecclesiae Scripta illustranda susceperam, cognovissem tum veteres, tum recentiores in di-

(1) En ejus verba: « Cum (Melania seniore) vixit etiam nobilis» simus, et moribus simillimus, et fortissimus Rufinus ex Aquileja ci» vitate italiae, πρεσβυτερίου εἰς ὕστερον καταξιωθείς, qui postea di» gnus est habitus presbyteratu, quo non est inventus inter homines » nec doctior, nec mitior. » Hist. Lausic. cap. III.

(2) Epist. Lib. II. Ep. 9.

(3) « Rufini quoque Christianae Philosophiae vir, aut contemnenda « Ecclesiasticorum portio, ita in Expositione Symboli etc. » Lib. VIII. de Incarnat. cap. 27.

(4) Act. Concil. Rom. LXX. Episcop. ann. 494.

(5) Hist. Pelag. lib. I. cap. IV.

(6) Tom. I. ad diem. XI. jann.

(7) Hist. Lit. Aquil. lib. V. cap. ult.

(8) Monument. Eccl. Aquil. cap. XIV.

versas de Rufino opiniones abiisse, neque hactenus plane constare quid magis ex veritate sentiendum sit, non absonum judicavi hanc mihi disquisitionem imponere, et opinionum utrimque momenta ad examen revocare. Quod quidem etsi arduum et salebrosum fore sentiebam, recreabat tamen animum cogitatio, quod longo et assiduo in Rufini Operibus edendis studio jam ante adhibito et praesentissima plurium sacrorum Scriptorum notitia munitus, in arenam descenderem. Opus aliquando confeci, EXIMII AC DOCTISSIMI VIRI; atque illud ipsum nimirum est, quod vestrae auctoritati ac sapientiae dijudicandum subjicio solemni hoc die, quo vestrae humanitatis luce illustratus ad Theologicae Laureae dignitatem assequendam accedo. Certe, vobis adjicentibus animum, non dubito quin Turanio Rufino ea tandem aliquando macula detrahatur, quae temporum quibus ille vixit inscitia aut injuria quadam inhusta illi est, et verecundiores se praebeant in posterum adversus sacrae Historiae in Ecclesia Latina Parentem nostratium nonnulli, quos de tanti viri fama ac dignitate tuenda sollicitos fortassis esse decuisset.

Antequam tamen Rufini causam propugnandam aggrediar, mihi aliquid dicendum arbitror de ejusdem natali solo, quandoquidem post decem et quatuor ab ejus morte elapsa saecula, vel adversus totius antiquitatis testimonium, adhuc dis-

putari fama accepimus, atque adeo inter homines quos profecto nil minus deceat. Nam cum a remotissimis temporibus natio quaelibet politis moribus instituta plane intelligeret etiam ad posteros majorum gloriam pertinere, non modo quae aliae gentes eripere ac sua facere conarentur magnorum hominum nomina, omni ope vindicanda curavit, sed dubia quoque et aliena saepe sui juris esse contendit; unde aliquando accepimus contentiones exortas, et magnos excitatos tumultus audivimus: nec vere nostrum quempiam latet septem Asiae civitates pro Homero sibi vindicando singulas decertasse, atque adeo suos immaniter natos devorare solitam fuisse nationem illam, quae magnis hominibus, et patriae telluris propugnatoribus debitos honores persolvere noluisset. Ecquis igitur arbitraretur Rufinum, ejusmodi ac talem virum, qui orbem pene universum, etiam dum viveret, sui nominis fama implevit, nostra tandem aetate, hoc saeculo, sententiam ferentibus Mariano Victore (1), et alio quodam mihi non plane cognito, ex sua civitate expellendum, ad eosque ultro amandandum, qui de hujusmodi sibi gloria asserenda ne quidem cogitarint? Nimirum qui Boccaccii (2) quoque auctoritate posthabita, Foro-

(1) In Vita Hieronym. inter ejus Opp. ed. Rom. recusa in aed. Populi Romani.

(2) En Boccaccii carmina, quae ad rem nostram faciunt:

»Nec tibi sit durum versos vidisse Poetae
»Exulis, et patrio tantum sermone sonoros,

juliensibus de immortalis Vatis hospitio nequaquam gloriandum contenderunt, iidem ipsi haud Concordiae nostrae, sed Mirandulanae (1) Rufinum adscribendum effutiunt, eo videlicet argumento innixi, quod divus Hieronymus de ea Patria dixerit, qua senex Paulus Concordiensis (2), perinde ac si ab urbe Aquileja Altinum versus iter facien-

» Fraudibus ac nulli redimiti crimine iniquae
» Fortunae, exilium relinquum voluisse, futuris
» Quid metris vulgare queat monstrare modernum
» Causa fuit Vati; non quod persaepe frementes
» Invidia dixere truces, quod nescius olim
» Eguit hoc Auctor, nosti forsan et ipse
» Traxerit hunc juvenem Phaebus per celsa nivosi
» Cyrrheos, mediosque sinus, tacitosque recessus
» Naturae, caelique vias, terraeque marisque
» Aonios fontes, Parnasi culmen, et Antra
» Julia, Paryseos dudum, serosque Britannos. »

(Ex vol. II. Bibliot. Leopold. Laurent. edit. a Març. Bandin.).

Ne sit vero qui dicat Boccaccium musis tantum lusisse; nam cuique legenti facile patet a sensu poetico eum transire ad historicum, et post depicta Alighierii itinera per regna immortalia, peregrinationes suas per varias hujus soli partes, et praesertim tempore exilii sui, graphice describere. Haud tamen me conjicere intelligo inter quaestiones alterius generis contra Virum illustrem de Ghibellino Poeta optime meritum jam acriter permotas, nec quidquam detrahere parti saniori Forojuliensium recte judicantium, qui quidem de hospitalitate tanto Vati praestita jure merito gloriantur: uno verbo concludam cum Hieronymo: « Nullum laesi, nullius nomen mea scri- » ptura designatum est, neminem specialiter meus sermo pulsavit: » quare qui irasci mihi voluerit, prius ipse de se, quod talis sit con- » fitebitur. » (Epist. ad Nepot.).

(1) Invenitur et alia Concordia inter Lusitanos; sed qui eidem Rufinum nostrum jam attribuerunt, satis superque refutati sunt a cl. Fontaninio: Hist. Lit. Aquil. lib. IV. cap. I.

(2) De Vir. Illust. cap. LIII. Epist. ad Florent. V., et alia Epist. ad Paul. eumdem Concordien.

tibus ad trigesimum primum lapidem minime occurreret *Concordia* illa *Sagittaria*, triumvirali lege Coloniae Claudiae jam condita, et Claudiae Romanae tribui jam adscripta. Quamquam non ex eo quod divus Hieronymus scriptum reliquit, *Quemdam de Patria supra dicti fratris Rufini Paulum senem*, continuo sequitur, Rufinum quoque, uti senex Paulus, Concordiensem civem habendum, cum neminem profecto lateat *Patriae* vocabulum apud Latinos non ad natalem solummodo locum, sed ad peculiarem quoque provinciam ac regionem designandam adhiberi(1), quemadmodum scilicet ab antiquis illis Adriatici sinus accolis factum accepimus, qui Forojulium honoris causa *Patriam* appellari decreverunt. Ex quo profecto, tametsi Concordiae nostrae haec laus tribuenda non sit, illud tamen indubium nobis omnino esse debet, Rufinum ad Aquilejensem sane provinciam pertinere, in qua jamdudum, ut ab ejusdem ad Anastasium Epistola constat, et cognati et familiares domicilium statuerunt. En verba: « Ad me tamen, quoniam appetitae existi-
» mationis meae fama pervenit, aequum putavi,
» ut quoniam ipse post triginta fere annos paren-
» tibus reditus sum, et durum satis, atque inhu-
» manum erat, si tam cito desererem eos, quos
» tam tarde reviseram, simul et quia tam longi

(1) Vid. B. M. de Rubeis Monument. Eccl. Aquil. cap. VIII. n. 7.

» itineris labor fragiliorem me reddit ad iterandos » labores; literis meis satisfacerem Beatitudini » tuae etc. (1). » Non inde tamen statim arguere fas est illum Aquilejae vitales primum auras duxisse, quandoquidem divus Hieronymus ipsum ex Aquilejensi oppido esse commemorat, itemque Heraclides (2) ubi de anicula Melania loquitur, sic habet: « Erat cum ea Rufinus civis Italus ex » Aquilejensi oppido. » Quin alio loco, nescio utrum vere an facete, idem Hieronymus Rufini patriam *Oppidulum* appellavit, ac in suis Apologiis quoque adjecit: « Patria derelicta (sive illa Concor- » dia, sive alia Forojuliensis civitas fuerit) Aqui- » lejae habitat (3). » Unde a Gennadio (4) palam et sine dubitatione *Aquilejensis presbyter* nominatur, et a divo Chromatio, quando ex Orientis oris reversus fuit, inter suae Dioeceseos Clericos adnumeratur, de quo et ejusdem aequalis Palladius Helenopolitanus (5) memoriae prodidit:

(1) V. Collect. PP. Aquil. vol. II. Edit. Utinen.

(2) Paradisiac. cap. XXXIII.

(3) « Quid ni, ait B. M. de Rubeis, ejus patria potius indicetur, » cum ipsum fortasse ex loci nomine Hieronymus initio lib. I. ad- » versus eumdem scripti, *Tyrannum* vocat, *Tauranium* Sidonius Apol- » linaris lib. II. Epist. 9., aliique demum *Toranum*, *Toranium*, *Ty-* » *ranium*, *Turanium?* Oppidulum est, sive pagus in Forojulio, quem » vernacule *Torrian* sive *Turian* populares appellant, ubi jus dicunt » Canonici Aquilejenses. An locum istum Rufinus patriam habuerit, » an alium quempiam, qui simili nomine appellaretur? » Monument. Eccl. Aquil. Cap. VIII.

(4) De Vir. Illust. cap. XVIII.

(5) Hist. Lausiac. cap. CXVIII.

« Ρυφῖνος ὁ ἀπὸ Ἰταλίας ἐξ Ἀκυληΐας τῆς πόλεως » (Rufinus ex Italia ex civitate Aquilejae), » ob id, credo, quod Aquilejensi Civitate Rufinus donatus fuerit, eadem ratione et modo, quo per eam regionem Romanae civitates honoris causa in suorum ordinem cooptare consueverant, quicumque doctrinae aut virtutis fama claruissent (1).

In *oppido* itaque Aquilejensis regionis ortum duxit celeberrimus vir, de quo loquimur, ex honestissimis parentibus; hoc etiam ex eo deducitur, quod ipse sua et Melaniae stipe Hierosolymis insigne advenis undecumque conflentibus hospitium patefecerit, et amplissimis subsidiis ditaverit. Is ineunte quidem adolescentia ad Aquilejensium monachorum sedes se contulit, ubi una cum Chromatio, Heliodoro, Florentio, Bonoso, Chrysogono praeterea et Hieronymo, aliisque praeclarissimis viris de arripiendarum scientiarum palma contendit. At vero statim ac, secundum illorum temporum consuetudinem, in aetate confirmata sacris fontibus ablutus est (2), nulla in-

(1) Jo. Jons. de Script. Hist. Philosoph. cap. II. et XX.

(2) Audiamus Rufinum ipsum describentem hanc suam regenerationem sequentibus verbis: « Ego, sicut et ipse (Hieronymus), et » omnes norunt, ante annos fere triginta (371 ab Incarnat.) in monasterio (Aquilejae) jam positus, per gratiam baptismi regeneratus, » signaculum fidei consecutus sum per sanctos viros Chromatium, » Jovinum et Eusebium, opinatissimos et probatissimos in Ecclesia » Dei Episcopos, quorum alter tunc presbyter beatae memoriae Va-

terjecta mora ad Orientales regiones cursum direxit, ut et pleniores disciplinarum divinarum latices hauriret, et omni virtutum genere seipsum excoleret. Quo tempore nimirum accidit, ut Origenis ingenio prope perculsus et in magnam admirationem abreptus in populo claresceret, iisque gravissimis vitae agitationibus quasique tempestatibus affligi caeperit, quas Origenis causa, quamdiu vixit, a Hieronymo, et causa Pelagii vel extinctus a Hieronymi fautoribus passus est; de quibus mihi modo disserendum.

Quamquam ex Hieronymi ipsius testimonio Pelagiana doctrina quasi quidam Origenianae *ramusculus* (1) habenda sit, ut propterea non multiplex, sed una tantum Rufini accusatio putari possit; nihilominus, ut nostra haec omnis disputatio majori quoad liceat in lumine collocetur, geminos hujusmodi errores separatim evolvendos suscipiam, et a vetustiori quidem exordiar, quippe quod ipse ad alterius pertractationem viam mihi quodammodo aperiat ac communiat. Ut vero dignosci possit jure an injuria de Origenianis doctrinis accusatus fuerit Rufinus, necesse est ut errores Adamanti (2), sive Origenis, singulos breviter

» leriani (Aquilejensis Episcopi), alter Archidiaconus, alius Diaconus » simulque pater mihi ac doctor Symboli ac fidei fuit. » Apolog. I. contra Hieronym. n. 4.

(1) Epist. ad Ctesiphont. inf. cit.

(2) « Origenem Adamantium cognominatum ex eo tradunt, quod

recenseam, ut eo vestigio ad inquirendum me vertam, utrum ille voce an scriptis eosdem fortasse propugnaverit. Atque equidem cum ab ipsius Origenis et Rufini, tum etiam ab Augustini (1) et Hieronymi (2) Operibus colligo Origeniana dogmata ad haec potissimum, quae subjicio, commode redigi posse.

I. Omnia quae modo existunt, antequam facta apparerent, perpetuo in Dei sapientia *formaliter* extitisse.

II. Unum principium, unamque esse tum Principatuum et Dominationum, tum Potestatum aeque ac animarum substantiam, quae propterea non ex earum natura, sed ex loci tantum, ubi adsunt, meritorumque discrimine secernantur.

III. In hisce creatis naturis sive ob earumdem merita, sive ob defectus adeo statum et conditiones immutari, ut qui hominis in hac vita rationem et formam habet, daemonii in altera habere possit, et qui daemonium fuerit, Angelus, sive Archangelus, sive etiam homo evadere aliquando queat, ut ex perpetuis hujusmodi conversionibus principium in finem, finis vero in principium transire possit.

» rationes quas collegerat, adamantinis quibusdam quasi vinculis. » non absimiles viderentur. » Anast. Bibliot.

(1) Ex lib. adv. Priscill. et Origenist.

(2) Praesertim ex lib. adv. Joann. Hierosolym., et ex Epist. CLLXXIV. ed. Veron.

IV. Lunam et caetera caelestia corpora haud inanima esse, sed sua quoque ratione donata, quae non absimili pacto ac homines, qui ob nonnulla patrata scelera corporibus obducti sunt, ipsa etiam corpus quoddam suum debeant induere, peculiari quadam tum gravitate et crassitudine, tum levitate distincta, prout plus minusve collucent.

V. Auctorem et Dominum rerum omnium, antequam in nostrum hunc mundum veniret, Angelis, Archangelis, Potestatibus insuper et reliquis omnibus creatis naturis excellentioribus per multa annorum millia remissionem peccatorum paedicavisse, ea velatum forma atque occlusum, quae nempe iis, quibus evangelizabat, esset accomodatior, donec nos inter aliquando ad corporis usque *palpabilitatem* devenit, quam postea, dum in sinum Patris reverteretur, ita perpetuo imminuere caepit, atque attenuare, ut nullo alio tandem corpore obvolveretur Deus.

VI. Innumerabilem mundorum seriem existere, qui tamen successivi, non autem *simultanei* sint, ita ut, priusquam hic noster existeret, et alius extiterit, simul et prior alius, et sic deinceps alii plures in posterum evolvendi.

VII. Vero simile habendum esse Christum Jesum pati debere aliquando etiam in aere caeloque universo, ut substantiae spirituales, quae nequitia aut scelere aliquo coinquinatae caelestes regiones obtinent, salvari queant.

VIII. Mundum idcirco a Deo conditum fuisse, ut quae ibidem animae conversantur, seipsas expurgent.

IX. Infernarum incendia sedium et horrenda damnatorum supplicia, de quibus sacrae Literae memorant, non ut veri nominis supplicia accipienda esse, verum in peccatorum dumtaxat conscientia esse posita.

X. Damnatorum poenas suis aliquando terminis circumscriptas, neque ullo pacto aeternas habendas esse.

XI. Diabolum et reliquos Daemones inferorum poenituisse aliquando debere commissorum, et inde, quod doluerint, futurum, ut sanctorum ipsi etiam ordinibus adscribantur, caelestique potiantur imperio.

XII. Neque Filium Patrem, neque Spiritum Sanctum Filium videre.

XIII. Animas tamquam inclusas carcere, ante quam in Paradiso voluptatis conderentur a Deo, rationales inter creaturas extitisse.

XIV. Primos Parentes, priusquam inobedientiae crimine faedarentur, nullo corpore donatos fuisse, atque haec, quae patrato jam scelere corpora induerunt, per illas pellitas tunicas designari, quae in Genesi memorantur.

XV. Carnem mortalium haudquaquam resurrecturam esse solemni judicii die, neque homines sibi jam proprium sexum iterum esse sumpturos.

XVI. Quae de Paradisi voluptatibus gaudiisque perfruendis traduntur, ea omnino allegorice accipienda.

XVII. Aquas caelorum desuper supernas esse virtutes, infernas, quae sub caelo sunt, daemoniacas videlicet Potestates.

XVIII. Hominem ad extremum, ut quae minoris sunt momenti praeteream, post commissum facinus divinam imaginem amisisse.

Atque hujusmodi sunt nimirum praecipuae sententiae, quae Origeni in primis tributae fuerunt, non jam quidem quod ipse singularum Auctor haberi debeat, sed quod ad invidiam eidem conflandam tanti viri detractores ausi sunt affirmare eas se in ipsius Operibus et Scriptis passim invenisse; de quorum propterea malevolentia et simultatibus et ipse saepissime questus est (1), ut plane quidem Rufinus pervincit in suo *De adulteratione librorum Origenis* Tractatu: praeterquam quod nonnullos etiam hujuscemodi errores idem ipse Origenes apertissimis verbis refutavit profligavitque; quam sane stultitiae notam ecquis, ut Rufinus praeclare arguit, ecquis, inquam, inurere velit homini totius fere antiquitatis praestantissimo, atque adeo ingenii doctrinaeque miraculo (2)? Adde quod, teste divo Athana-

(1) Homil. XV. in Luc., et Epist. ad African.

(2) Omnibus fere notum existimo numerum Operum Origenis, quae, ut videre est in ejus Epitaphio, sex millia ac sexcenta fuerunt.

sio (1), multo plura dubitationi potius et quaestioni sapientium tradidit, quam ipse affirmavit aut definivit. Ac si quidem ex ejusdem Operibus probari posset, in aliquot errores et ipsum incidisse, id fervido magis ingenio viri, quam ejusdem voluntati tribuendum videtur: quippe qui tanta animi contentione perpetuo in illud niteretur, ut Ethnicorum Philosophorum scita et sententias cum divinis Jesu Christi effatis dogmatibusque componeret, neque hoc quidem ex superbia aut contumacia animi quadam sua, sed integerrima fide; quemadmodum compertum habuerunt complures sanctissimi viri, quos tantum abfuit ut Origenianus ille quasi fulgor ingenii perstringeret hallucinando, ut etiam ejusdem opibus luminibusque ditescere non erubuerint; quos inter, ne singulos nominem, recensendi sunt Athanasius, Gregorius Thaumaturgus, Nazianzenus, Nysenus, Divus Basilius Caesariensis in Cappado-

nam tot et non minus, e sententia Vegetii (*De re militari*), milites cujusque legionis erant, quorum numero Origenis Scripta respondent. En epitaphium:

Ille ego Origenes doctor verissimus olim,
Quem primum fides gratia clara dedit.
Si mihi credere vis, libros tot millia scripsi,
Quot legio missos mittit in arma viros.
Nulla meos unquam tetigit blasphemia sensus,
Sed probus atque vigil, tutus ab hoste fui!
Sola mihi casum Periarchon dicta dederunt:
His me conjectum undique tela premunt.

(1) Anast. de Decret. Nicaen. Synod. — Opp. tom. I. pag. 257 et seq.

cia, Divus Joannes Chrysostomus, Eusebius Vercellensis, Hilarius Pictaviensis, Ambrosius atque adeo ejusdem postea adversarius Hieronymus (1), qui *Origenem post Apostolos Eccelesiarum magistrum* appellare non dubitat (2), ut propterea scelere liberandus videatur si quid peccavit, praesertim cum ad Christianae Religionis integritatem omni ope tuendam tot ac tanta perpessus fuerit (3). Neque vero ex nimia indulgentia, sed suo quodam jure liberandus; quandoquidem aliis etiam Patribus vel nobilissimis nonnulla minus recte prolata ignoscere placuit; et ob eam praeterea causam, quod cum eidem Patres in quibusdam ipsi Origeni assenserint, non ideo statim acerbius cum illis actum fuit, sed satis visum monere eos, eo quod vel nolentes aberrarunt,

(1) V. Huet. In Origenian. passim.

(2) En locum integrum: « Novi Testamenti verba et nomina » interpretatus sum, imitari volens Origenem ex parte, quem post » Apostolos Ecclesiarum magistrum nemo nisi imperitus negat. » Praef. ad interp. Nomin. Hebraic.

(3) Juvat et hic Hieronym. ipsum audire haec narrantem: « Videtis ne, ait, Graecos pariter et Latinos unius labore superatos? » Quis enim unquam tanta legere potuit quanta ipse conscripsit? » Pro hoc sudore quid accepit praemii? Damnatur a Demetrio Episco» po, exceptis Palaestinae, et Arabiae, et Phoeniciae, atque Acajae » sacerdotibus: in damnatione ejus consentit urbs Roma. Ipsa contra » hunc cogit senatum, non propter dogmatum novitatem, nec pro» pter haeresim, ut nunc adversus eum rabidi canes simulant, sed » quia gloriam eloquentiae ejus et scientiae ferre non poterant, et » illo dicente, omnes muti putabantur. » Apud Rufin. Apolog. II. n. 23., Vid. et Vales. in not. ad cap. XXIII. lib. VI. Hist. Eccl. Euseb. Caes.

et a veritate recesserunt, ut propius, quam par est, Platoni adhaerescerent (1). Jure idcirco ac merito ejusdem Apologiam scribendam suscepit sanctus Pamphylus martyr illustris. Neque enim in hoc standum a divo Hieronymo, qui plane injuria totius Operis Auctorem facit Caesariensem Eusebium, quem scimus, Pamphylo extincto, sextum dumtaxat librum absolvisse (2). Profecto idem Hieronymus (3), antequam adversarii sui oppugnandi desiderio plus aequo extimulatus a sua ipse sententia descisseret, Pamphylum Apologiae Auctorem existimavit (4): quod nemini mirum esse debet; cum non modo extincti Adamantii studiosos acriter aggressus fuerit, sed ejusdem quoque in exponenda Scriptura sententias, quas olim laudaverat et adprobaverat (5), in posterum expunxerit, atque in alienum saepe sensum de-

(1) V. Petav. lib. II. de Ang. cap. VII.

(2) Photius rem totam probe narrat sequentibus verbis: « Lecti sunt, inquit, Pamphyli martyris et Eusebii pro Origene libri » sex; quorum quinque sunt a Pamphylo in carcere, praesente (vel » *adjuvante*, ut habent Euseb. Hist. Eccl. lib. VI. cap. 35. et Socrat. lib. III. cap. 7.) etiam Eusebio, elaborati. Sextus vero, postquam martyr, ferro privatus vita, ad unice desideratum Deum migra» vit, ab Eusebio est absolutus. » (Cod. CVIII.)

(3) De Vir. Illust. cap. LXXV.

(4) V. inter Opp. Origen. Admonit. praemissa ad Apolog. Pamphyl.

(5) Ne pigeat hic audire Rufinum hanc rem aliquanto acrius prosequentem: » Sed, ait ipse, quod Auctores obtrectatorum ejus (Origenis), » ii sunt (Hieronymus et Epiphanius), qui vel in Ecclesia disputare la» tius solent, vel etiam libros scribere, qui totum de Origene vel loquun» tur, vel scribunt: ne ergo plures ipsorum furta cognoscant, quae uti-

torserit, quemadmodum Huetius et Bulle permultis exemplis evidenter demonstrant (1).

Atque haec sufficiant non ad Origenis modo maculas, quoad fieri potest, delendas, verum ad Rufini quoque causam tuendam; quippe qui, si hominum sanctissimorum, atque adeo ipsius Hieronymi exemplo Origeniana Volumina (2) accurate descripsit, et inter Latinos pervulgavit, certe simili, ac caeteri, excusatione et venia dignus est; neque ideo vituperandus quod Origenis tantummodo studiosus extitit, uti deinceps pro viribus ostendam. Illud nunc mihi esse praecipue inquirendum arbitror, innixus etiam integra nominis fama, quam semper ipse habuit apud suorum temporum probatissimos viros, num videlicet ex agendi ratione, quam in suis cum Hieronymo controversiis secutus est, aut ex editis ipsius scriptis argui possit Rufinum Origenianis doctrinis haesisse, an contra easdem etiam aperte impugnasse.

Ac ex agendi ratione ut ordiamur, sciendum est saeculo quarto exeunte, et sub quinti initia universos fere monachos, qui aut Ægyptum aut Palaestinam incolebant, in duas quodammodo

» que si ingrati in magistrum non essent, nequaquam criminosa vide- » rentur, simpliciores quosque ab ejus lectione deterrent. » De corrupt. Lib. Origen.

(1) Huet. in Origenian. p. 137., et Bull. in Defens. Fidei Nicaen. c. IX. n. 16.

(2) Rufin. Praef. in lib. Periarchon Origen.

partes secessisse, quarum altera alteram accusabat aut de *Origenismo* aut de *Antropomorphismo*, prout aut cum Origene *spiritualitatem*, aut cum aliis Dei *corporalitatem* tueri ac patrocinari viderentur (1). Igitur Rufinus qui annos integros octo ibidem commoratus fuerat, et Dydimum, Serapionem, Menitem, necnon senem illum Paulum Alexandriae disputantes audierat, in celeberrimis autem Nitriarum, Syriaeque recessibus geminos Macarios, Isidorum, Pambam, aliosque complures sapientissimos et commendatissimos divinarum rerum Doctores jam noverat, quorum et vitas conscripsit (2), ubi Hierosolymam venit, et statim clarus caepit evadere, fieri non potuit, quominus, cum saepe Origenis admiraretur ingenium, tametsi errores respueret, ejusdem Origenis assecla propugnatorque haberetur, quandoquidem ne Hieronymo quidem ipsi, neque Chrysostomo hanc eandem notam effugere licuerit (3).

Simultates qui primum gerere, et cum Hieronymum, tum etiam Rufinum in crimen vocare caepit, fuisse constat monachum quemdam Antropomorphitam, nomine Aterbium, ex Ægypti silentio

(1) Hieronym. in Epist. passim, et alibi in ejus Opp.

(2) V. Rufin. Apolog. II. contra Hieronym. n. 15., et Hist. Monach. seu Vitae Patrum in Eremo.

(3) V. Teoph. Alexandrin. Epist. inter Opp. Hieronym. V. I. Ed. Veron.

in Sacrae Civitatis lucem evocatum. Placet Hieronymo, ut omnem a se suspicionem depellat, Origenem ejusque doctrinam palam ejurare. At vero Rufinus, utpote qui mentis suae integritati confidebat, et pacatiore erat ingenio, cum non videret quomodo id sibi faciendum esset, a sua opinione dimoveri passus non est, non jam, ut Hieronymus autumat (1), quod Aterbii conspectum subire vereretur, sed quod nimirum omnino perspectum habebat, a nulla sibi neque suspiciosa sententia recedendum. An non enim qua constantia mentem obfirmatam gereret, serius ostendit, ubi apud Mediolanum in proximo virorum conventu Eusebium Cremonensem jacula conjicientem solemni voce intercepit, nihil hominis ubique acceptissimi gratia et auctoritate deterritus (2)? Atque hactenus Hieronymi ac Rufini una mens fuerat, una sententia: ambo in Origene admirando ac laudando pares, prorsus ut tamquam duorum in fronte oculorum conspirationem consensionemque servare omni-

(1) Lib. III. advers. Rufin. n. 33.

(2) Sequenti modo Rufinus ipse rem totam narrat: « Nam cum » falsam hujusmodi sententiam apud Mediolanum recitaret (Euse- » bius), et ea a me, quae legebat, falsa esse dicerentur: interrogatus » a quo accepisset exemplaria, respondit, matronam quamdam (Mar- » cellam) sibi dedisse ..... Scripta, quae volebat (Eusebius) crimina- » ri, per domos, per matronas, per monasteria, per singulos quoque » fratrum circumferebat ... ut per totam Italiam me criminaretur, » instigaret turbas, conturbaret Ecclesias, aures quoque pollueret » Sacerdotum, et in his omnibus modestia nostra, tamquam conscientia, abuteretur. » Apolg. I. n. 19.

bus viderentur. Quam praeclara Rufini apud ipsum Hieronymum, et quam incorrupta laudatio! « Frater Rufinus, ait ille, individua mihi germanitate » connexus.... noli me ejus aestimari virtutibus; in » illo conspicies expressa sanctitatis insignia: et » ego cinis et vilissima pars luti, et jam favilla » dum vertor, satis habeo, si splendorem morum » illius imbecillitas oculorum meorum ferre sustineat. Ille modo se lavit (in Baptismo regenerationis), et mundus est, et tamquam nix dealbatus: ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus diebus ac noctibus operior cum tremore » reddere novissimum quadrantem (1) ». Quid tamen? Mutantur repente animi: diversis inter se distrahuntur sententiis, quique fraterno prope amore conjuncti videbantur, sibi invicem adversari, et alter ab altero acriter peti. Tantum diceres commotum incendium, ut neque Rufini interitu extinctum omnino fuerit, faces videlicet subjiciente divo quoque Epiphanio Salaminae in Cypri insula Antistite, qui conjunctissima Hieronymi familiaritate ac consuetudine utebatur, et Origeni infensus maxime extiterat (2). Ex quo autem Epiphanius Paulinianum Hieronymi fratrem Sacerdotio adscripserat contra jus, intra fines nimirum, quibus Joannes Hierosolymorum Patriarcha et Rufini familiaris Ecclesiae principatum tene-

(1) Epist. IV. ad Florent. Aquil.
(2) Epiph. Epist. inter Opp. Hieronym.

bat, cum eo ipso contendere caepit (1), ut propterea hinc atque inde gemini prope hostes stare in conspectu et praelia gerere viderentur; Rufinus tamen unus silere, et conscientiae integritate securus aemulos inter se decertantes spectare. Primus omnium in aciem se Epiphanius conjecit longa contra Joannem simul ac Rufinum Epistola graece conscripta, quam continuo Hieronymus latinam fecit ac vulgavit (2). Nihil inde Joannes terreri, sed propriam ipse causam verbis scriptisque defendere ac notam omnibus facere (3). Cujus rei notitia cum Romam esset perlata, et defensionis illius exempla perplura in omnium manibus versarentur, maxima quoque aexistimatio, quae de Hieronymo fuerat, laborare caepit: quam ob rem ipse in arenam statim prodire datis ad Joannem responsis, et per Pammachium sibi jam summa familiaritate conjunctum late disseminatis; quin subinde contra Joannem arma rursus distringere opusque conscribere, quod cum jam maxima ex parte absolvisset, compositis paulo post cum Joanne animis, imperfectum reliquit; sed a Rufino pedem referre noluit, librumque in eum publici juris fecit, inscripto titulo: *De optimo genere interpretandi* (4). Neque hoc contentus

(1) Superius cit. Epiph. Epist.
(2) V. inter Opp. Hieronym. Vol. I.
(3) Pariter inter Opp. Hieronym Vol. cit.
(4) Et haec omnia inter Opp. Hieronym. Vol. cit.

multos quoque ex illis insectari caepit, qui in Rufino colendo ac patrocinando perseverarent. Melaniam matronam in primis egregiam, cujus olim virtutes tam effusis laudum praeconiis prosecutus fuerat, et sanctissimam foeminam praedicaverat, conversis sententiis proscindere agressus est, « Evagrius Ponticus, inquiens, qui scribit » ad Virgines, scribit ad Monachos, scribit ad eam » (etiam) cujus nomen nigredinis testatur perfidiae » tenebras (1). » Quin etiam eo devenit, ut ejusdem nomen ex suo ipse Chronico expungeret; quod nihilo secius a Martyrologio Romano, et Eulogiis Occidentalibus commendatum legimus (2). Tantam animorum concitationem sedare atque extinguere cum maxime studeret Theophilus Patriarcha Alexandrinus, negotium commisit Isidoro presbytero, suoque legato, qui Rufini partibus pro conscientiae suae jurisque aequitate susceptis, incendia potius validius auxit, quam extinxit (3). Medius deinceps inter dissidentes venerat etiam Archelaus Palestinae Comes, per illos dies Ægypti

(1) Epist. CXIII. Ad Ctesiph.

(2) Aliquid simile fecit et Rufino, ut sequentibus verbis refertur: » Si, inquam, istos omnes quos tuo ore laudasti, tuo ore rursum con» demnas, quid ego ad istos pulex de me conquerar, si me nunc » laceras, quem et in Epistolis tuis ante laudaveras, et in Chronicis » tuis Florentio et Bonoso pro vitae, ut ais, nobiliate conjunxeras? » (Apolog. II. n. 28.). Ceteroquin etiamnum cum Melaniae tum Rufini nomina leguntur in maximi Doctoris Operibus supra citatis, forsitan eo quod ab exemplaribus jam disseminatis ea eradere non potuit.

(3) Hieronym. lib. III. cont. Rufin. n. 38. et 40.

Praefectus nominatus (1); sed hujus quoque studia prorsus irrita concidissent, nisi ipse Rufinus, qui Italiam petebat, vehementer optasset, antequam se pelago committeret, reconciliare sibi Hieronymum, et pacem inire (2). Quod quidem ejus desiderium expletum est Hierosolymis in templo Resurrectionis (3), divino agno immolato, dextrisque conjunctis, ita tamen ut ex ea animorum conjunctione nova orirentur bella, et acriter invidia commoveretur.

Nam mari transmisso, et vix Urbem ingressus, cum a monacho Macario, qui adversus Mathematicos sive Astrologos Judiciarios praeclare scripserat, maxime impelleretur, ut Origenis Apologiam, quae a Pamphylo martyre graece exarata fuerat, latinam faceret, amicissimi hominis desiderio non restitit, invitoque etiam animo manum admovit operi, ex quo plurimum molestiarum se in posterum suscepturum callide praesentiebat (4). Quin et novis Macarii sui votis obtemperans primos Origenis libros duos, quibus titulus περὶ ἀρχῶν latinitate donavit; serius vero etiam reliquos adjecit, in quorum prae-

(1) Hieronym. lib. cit. n. 4.

(2) « Post pacem illam summo vix sudore reparatam etc.» Rufin. Apolog. II. n. 41.

(3) « Reconciliatas amicitias, et in Anastasi (ita vocabatur tem-» plum Resurrectionis), immolato Agno, dexterasque junctas etc. » Hieronym. lib. III. contra Rufin. n. 33.

(4) Praef. Rufini in Apolog. divi Pamphyl. Martyr.

fationibus Hieronymi industriam doctrinamque laudabat, qui septuaginta Origenis Opera jam antea interpretari curaverat (1). Exinde doloso cineri subjecti ignes rursus incendi, et aliae ex aliis seri iterum causae litium sempiternarum. Nam Hieronymus, ubi primum Rufinianae versionis codices hactenus imperfectos, et quorumdam adversariorum fraude Rufino subductos accepit (2), literas ad eum continuo ab Oriente dedit, graviter conquestus quod se calumniose laudasset. Quam quidem suspicionem, seu potius infamiae notam, aliquanto serius ab se Rufinus depellere non dubitavit, palam asserendo nihil hoc esse aliud quam subtiliter cavillari, inversisque factorum rerumque nominibus, laudationes pro vituperiis, vituperia vero pro laudibus habere (3). Jam vero Pammachius et Oceanus, qui Hieronymi partibus favebant, et infensos in Rufinum gerebant animos, cum diu hujusmodi literas apud se fere oblitas retinuissent, neque nisi post elapsum triennium curassent, ut eidem ab Aproniano nobilissimo viro afferrentur (4), in causa fuerunt cur vetus illa adversatio animorum acerbior evaderet, atque adeo per-

(1) Praef. Rufin. in libros Periarchon Origen.

(2) « Suos vero non codices, sed schedulas imperfectas, inemendatas, furto cujusdam nebulonis et fraude subtractas etc. Rufin. Apolog. II. n. 48. et etiam I. n. 18-19.

(3) In Apolog. contra Hieronym. passim.

(4) Hieronym. lib. III. contra Rufin n. 38.

fricaretur. Siquidem Rufinus, qui per eos dies cum Siricii Pontificis *Literis Formatis* Aquilejam redierat (1), Hieronymi epistolas ad derisum nuper confictas et ad se illaqueandum instructas judicavit; quibus sane literis Rufinus procul dubio respondisset, nisi eo statim ab suis adversariis compulsus esset, ut apud Anastasium Siricii decessorem se ipsum purgandum susciperet, neque Origeniana se esse doctrina imbutum, sed summi dumtaxat admiratorem ingenii penitus declararet. Profecto nihil catholico sanoque homine dignius, quam missas ad Anastasium Pontificem literas existimo; in quibus quantum ipse incommodorum irarumque ab Arrianis partibus ad majorum suorum Religionem et fidem invicto pectore sustinendam in Ægypto pertulerit, integre fidenterque commemorat, quam laudem Socratis (2) testimonio comprobatam eidem frustra Hieronymus conatur detrahere. Quapropter summus Pontifex, judex aequissimus, Origenis causam a Rufini causa secernendam ostendit, atque in ea Epistola quam ad supra memoratum Joannem Hierosolymitanum dedit, cum Origenis errores

(1) Hieronym. Epist. LXXX, et LXXXI., nec non CXXI.

(2) Hist. Eccl. lib. IV. cap. 24. Rufini contestatio vero sequens: » » Quamvis igitur fides nostra persecutionis tempore, quum in sancta » Alexandrina Ecclesia degeremus in carceribus et exiliis, quae pro » fide inferebantur, probata sit; tamen et nunc si quis est, qui vel » tentare fidem nostram cupit, vel audire, vel discere; sciat etc. » Apolog. ad Anast. Pontif. n. 2.

damnat, tum Rufinum excusandum censet, dummodo, ut ipse de se testabatur (1), Origenis dumtaxat interpres fuerit, neque ejusdem opinionibus ex animo adhaeserit; secus si res se haberet, causam ejus relinquit judicio illius qui est Deus verax, et *Unus videt in corde* (2). Quae sane summi Pontificis verba equidem arbitror tanti facienda esse, ora ut singulis obstruant, qui cum Garnerio (3), Du-Mesnilio (4), Bertio (5), (quorum sententias doctissimi omnino viri Coustantius (6), Fontaninius (7), et Pater De Rubeis (8) penitus refutarunt), Pontificalium Rescriptorum sensa distorquent, atque adeo Rufinum ipsum anathemate perculsum effutiunt.

Hujusmodi tamen purgationem satis neutiquam habuit Hieronymus. Etenim cum videret eam a

(1) In cit. Apolog. ad Pontif. Anast. n. 7.

(2) Sequentia Anastasii verba: « Rufinus, de quo me consulere » dignatus es, conscientiae suae divinam habet arbitram majestatem; » apud quam se integro devotionis officio ipse viderit qualiter de- » beat approbari...... (ego enim) approbo si accusat Auctorem, et » execrandum factum populis prodit.... quod te vero vulgi de Ru- » fino quaerela solicitat, ut quosdam vagis suspicionibus perse- » queris, hanc tuam opinionem constringam divinae lectionis exem- » plo, sicut scriptum est: *Non sic homo ut Deus, nam Deus videt* » *in corde, homo videt in facie* ». I. Reg. XVI. 7. (Anastas. Pontif. Epist. ad Joann. Jerosolym.).

(3) In notis ad Epist. Anast. Pontif.

(4) Lib. de Doctrin. et Disciplin. Eccl. n. 27.

(5) Brev. Hist. Eccl. Saec. IV. cap. 3.

(6) Epist. Roman. Pontif. Vol. I.

(7) Hist. Lit. Aquil. Lib. V. cap. 18.

(8) Disert. de Rufin. n. 16.

Rufino sibi curam esse susceptam, ut quae inter se plane discrepantia erant et contraria, ea locis ac sententiis inter se comparatis emendaret, quae vero, etsi minus recte ab Origene dicta, ex locorum sententiarumque comparatione immutare et corrigere non poterat, ea sic prorsus in Latium transferret quemadmodum Auctor jam literis consignarat, criminari Rufinum caepit hoc ab illo data opera, et dolose factum ut parvulis in fide offensioni esset. Sed Rufinum ab hujusmodi crimine facile, arbitror, liberabunt quicumque secum animo reputent, hoc tantummodo in sua Praefatione eumdem polliceri, se videlicet curaturum, ne ea, quae in libris Origenianis ab Origenis mente discrepantia inveniuntur, admitteret ac proferret, secus vero quae ab alio aliquo, aut ab ipsa fide fortasse disentiunt (1). Hieronymus tamen Rufi-

(1) Referam integrum ejus locum: « Nam cum honoris gratia » mentionem fecissemus hujus viri (Hieronymi), qui haec nunc adducit ad crimen, pro eo quod ante nos ipse prior Origenis quamplurima fuisset interpretatus, et ejus vel eloquentiam in explicando, vel in interpretando diligentiam laudassemus, eumque nobis sequendum in Opere simili diceremus, post aliquanta etiam haec adjecimus: *Hunc ergo etiam nos, licet non eloquentiae viribus, disciplinae tamen regulis, in quantum possumus, sequimur, observantes hoc, ne ea, quae in libris Origenis a semetipso discrepantia invenirentur, atque contraria proferamus.* Memento qui legis, ne hic te breviter dictus sermo praetereat, quem dixi, *quia non proferam ea quae in libris Origenis a semetipso discrepantia inveniuntur atque contraria.* Non enim generaliter promisi me non prolaturum, quae essent fidei contraria, sed quae ipsi sibi essent contraria, vel quae a semetipso discrepant, non quae a me, vel ab alio aliquo discreparent. Non ergo hoc sermone subripientes

nianam interpretationem ut a plurimorum manibus excuteret, et sua, quantum fieri posset, fama ac dignitate expoliaret, novam aliam lucubrationem suscepit, quae a textu ipso, sive exemplo Auctoris ne latum quidem unguem discederet (1). A quo ille incepto utinam destitisset! Nam Avitus quidam, frustra admonente Hieronymo, erroribus quibus illud Opus scatebat, imbutus, iisdem totam late Hispaniam sic miserrime infecit, ut perniciosius quam armis Barbarorum, malorum hominum opinionibus exinde agitatam Orosius discerptamque tradiderit (2).

Igitur cum tot se jaculis undique jam peti Rufinus intelligeret, et famae aliquando suae consulendum cognosceret, diuturno silentio finem imposuit, atque, Gennadii verbis ut utar, « Obtrectatori Opusculorum suorum respondit » duobus voluminibus, arguens et convincens se » Dei intuitu et Ecclesiae utilitate, auxiliante » Domino, ingenium agitasse: illum vero aemula» tionis stimulo incitatum, ad obloquendum sti» lum vertisse (3). » At vero quidquid a Rufino

» inimici calumnias generent, ut dicant me promisisse, quia si quid » contrarium est, vel discrepat a fide nostra, proferam. Hoc enim si » facere potui, tamen promittere non auderem. Et si quidem factum » hoc in Opere meo invenies, amplecti poteris; si vero in aliquo ti» bi minus impletum videtur, culpare non poteris, quia professionis » meae tale vinculum non tenes » etc. Apolog. I. n. 14.

(1) Rufin. Apolog. I. n. 21.

(2) Hist. Lib. VII.

(3) De Vir. Illust. cap. XVII.

conscriptum prodibat, id statim severiori trutina ejusdem detractores atque aemuli expendebant. Qui ut primum exemplar Operis sibi comparare potuerunt, statim eodem in compendium redacto, ad maximum in Oriente Doctorem transmiserunt, a quo nihilo segnius duobus voluminibus elucubrata responsio, ad Pammachium Marcellamque perlata fuit (1). Quo tempore, cum Rufinus a multis qui suarum Apologiarum sensa minime assequuti erant, verbaque ipsa corruperant, aut in alienam significationem detorserant, male se haberi vexarique passim intelligeret, nulla interjecta mora, easdem sua sponte ad Hieronymum transmittendas curavit adjecta Epistola, cujus aliquot tantum fragmenta nobis relicta (2), hortans praeterea ut pondera argumentorum pacatiore secum animo reputaret, et ab nimis acerba criminatione aliquando recederet. Sed tantum abfuit ut aliquem moveret lapidem, ut novae etiam adjectae quasi dissidio faculae viderentur. Siquidem accerrimo ingenio vir arma iterum sumpsit, tertio conscripto volumine, et per Hipodiaconum Asterium ad Augustinum in Africam usque transmisso (3); qui prudentissimo quemadmodum a natura praeditus erat consilio, in hunc discordiae campum se

(1) Extat inter Opp. Hieronym. Vol. II. ed Veron.
(2) Extant in Vol. II. PP. Aquil. Ed. Utin.
(3) Inter Opp. Hieronym. cit. Vol. II.

conjicere recusavit, sed tantam animorum dissensionem inter sapientissimos viros excitatam sedare studuit, eosque sequentibus verbis componere: « Nescio quae scripta maledica supra tuo » nomine ad Africam pervenisse audivimus. Ac» cepimus tamen quod dignatus es mittere illis » respondens maledictis: quo perlecto fateor, mul» tum dolui inter tam charas, familiaresque per» sonas, cunctis paene Ecclesiis notissimo ami» citiae vinculo copulatas tantum malum extitis» se discordiae.... Quae sibi enim jam fida pecto» ra toto ore fundantur? In cujus sensus tota se » projiciat secura dilectio? Quis denique amicus » non formidetur quasi futurus inimicus si potuit » inter Hieronymum et Rufinum hoc quod plan» gimus exoriri (1)? » Ceterum quod Augustinus precatus fuerat, Chromatius Aquilejensis suscepit, et offensiones aliquando ut hinc atque inde tollerentur, Ecclesiasticam Eusebii Caesariensis Historiam latine reddendam Rufino commisit. Qua nimirum occupatione curaque distentus Rufinus a causae suae defensione sibi supersedendum judicavit, donec expleto Opere Romam reversus est. Numquam tamen movere Hieronymum potuit ut a sententia deflecteret; nam Hieronymus, quoad vixit, adversarium telis omnibus laniandum curavit, fraudulentem saepe hominem

(1) Epist. ad Hieronym. LXXIII. inter Opp. Hieronym. Vol. I.

appellans, et exterius Catonis, intus autem Neronis gerentem animos, numquam sibi ipsi constantem, ad extremum hujusmodi, ut monstro similis videri debeat (1): eo etiam prope dixerim simultatis devenit, ut deridendi causa contumeliosum Grunionis nomen eidem imponeret (2); quin etiam extincto Messanae Rufino, dum in Palaestinam reverti parabat (3), anno videlicet Christi quadringentesimo decimo, hisce verbis de ejus interitu Eustochium certiorem fecit: « Verum quia tu indesinenter hoc flagitas, et magno vulnere cicatrix paulatim obducitur, scorpiusque (Rufinus) inter Enceladum et Porphyrium (4) Trinacriae humo premitur, et hydra multorum capitum contra nos aliquando sibilare cessavit (5). »

Ita nimirum per totum dissidii tempus se gessit Rufinus. Numquam princeps in arenam descendit, pugnamque conseruit; in acie semper intrepidus tela inimica despexit, aequam in omnibus mentem retinuit, neque nisi prope coactus

(1) V. Epist. CXXV., Prolog. in Hierem. et Comment. in eumdem lib. IV. cap. 22. et plurimis aliis in locis.

(2) V. Descriptionem Testamenti hujus Grunionis in Instit. Diplomat. Fumgallii lib. III. cap. 6. et in Brissonio *de Formulis* lib. VII.

(3) Paulin. Nolan. Epist. XLVII. alias XLVIII.

(4) Scite advertit Card. Peronius debere legi *Porphyrionem* loco *Porphyrium*. V. ejus Respons. ad Reg. Britann. sect. I. §. 9. De Porphyrione gigante loquitur Martialis lib. XIII. Epigram. 75., et Apollodorus Bibliot. lib. I.

(5) Praefat. in lib. Ezech. ad Eustoch.

se tueri studuit, et jacula retorquere. Origenis quidem studiosus videri maluit, non ita tamen, ut aut ejusdem errores probaret, aut de rebus divinis aliquando temere illata judicia aequi bonique faceret: quin immo quando Origenes ab Origene dissentiebat, accurate praemonuit instituta etiam locorum comparatione; quod ad Rufini honestatem tuendam quantum valeat, ecquis est, qui non sentiat? Profecto idem ipse, ceteroquin sapientissimus Doctor, qui ingenii credo sui potius impetu ductus, quam aequitate, Rufinum haereticis adnumeravit (1), nullam sane ejusdem doctrinam anathemate percellendam excerpsit ac designavit, nihil singillatim objecit, quo pervinceretur Adamantii dogmata minus recta, aut etiam improbanda eumdem propugnasse. Hinc minime audiendus Cardinalis Norisius, Bollandus, aliique, qui Rufinum ipsum errores, in quos antea prolapsus fuerat, palam in posterum improbasse contendunt. Nam Palinodia, quae a nonnullis Rufino tribuitur, nihil ad illum attinet. Etenim manuscriptum Bellovacense, unde ipsam primo Garnerius excerpsit, tum Vaticanum, ex quo Norisius eamdem descripsit, tribuunt quidem ipsam Rufino cuidam; verum ab hujusmodi codicibus ostendi nequit agi de nostro Aquilejensi. Quin immo hujusce Palinodiae exordia, quae sunt hujusmodi:

(1) Lib. II. contra Rufin. n. 13., et in Epitaph. Marcell. n. 10.

« Propter venerationem Sanctorum Locorum, Je-» rosolymam et Bethlehem venimus, et intelle-» ximus plures fratres in nobis scandalizari eo » quod audiverint, nos multa haeretica, et quae » contra fidem Ecclesiae veniunt, profiteri, » satis aperte pervincunt ad Hieronymi aemulum eam non pertinere; cum plane constet, ex eo contentionem inter utrosque exortam esse, quod, quemadmodum Hieronymus fecerat, Rufinus Origeni verba dare noluerit, ejusque libros coram Aterbio devovere, dum Hierusalem commorabatur (1). Cum itaque hujusmodi Palinodia Hierusalem scripta fuerit, ut ex verbis constat superius allatis, Rufinus vero semel inviserit Urbem Sanctissimam, certum est propterea Palinodiam hujusmodi ad eum pertinere minime posse. Praeterquam quod sententia nostra confirmatur etiam ex eo, quod in hujusmodi Apologia anathemate percutiuntur ii quoque, « qui dicunt animas prius fuisse quam na-» tae sunt, et non cum corpore secundum exem-» plum primi hominis, a Deo quotidie fieri. » At Rufinus noster, cum jam in Italiam reversus esset, nihil se aliud de hac quaestione perspectum habere declarabat ad Anastasium Pontificem, nisi hoc, « Deum esse animarum et corporum crea-» torem (2). » Quid quod Hieronymus Rufinum vel vita functum acribus maledictis prosequi ne-

(1) V. supra pag. 20.

(2) Apolog. ad Pontific. Anast. n. 6.

utiquam destitit, et ejusdem quoque manes lacerare? Quod certe ex animi honestate et intima fide facere non potuisset, si Rufini Palinodiam vel tantum auditu cognitam habuisset. Ecquis praeterea, si revera Opus esset Rufini, sibi persuadeat, nihil de tanta re nunciatum fuisse Hieronymo ab aliquo eorum, quorum ille familiaritate et consuetudine jamdiu utebatur (1)? Accedit eodem, quod una cum Origenianis erroribus hujusmodi Palinodia vulnerat maledictis Pauli quoque Samosatensis, Arii, Apollinaris ac Fotini demum jam damnatas opiniones, de quibus profecto nemo Aquilejensem Rufinum unquam coarguerat.

Ad quem igitur attinere hujusmodi Palinodiam dicamus? Satis equidem credimus invictis nos probasse rationibus, Rufino, cui studemus, nullo pacto esse tribuendam. Tametsi spectato Bobiensis codicis titulo, qualem in Italico Mabillonii Itinerario legimus « Abbreviatio Fidei Ca» tholicae exposita a sancto Hieronymo, ut qui» dam in haeresim lapsi corrigantur; » cum Fontaninio (2) et De Rubeis (3), eximiis profecto hominibus, existimare possumus, aliquem ex iis, qui tum aderant, quando Hieronymus coram Aterbio Origeniana dogmata palam devovit, ex ejusdem

(1) V. supra pag. 21. et seq.
(2) Hist. Lit. Aquil. lib. V. cap. 18.
(3) Monument. Eccl. Aquil. cap. XI. n. 6.

deinceps Operibus eruenda verba curavisse, quibus usus est Hieronymus ipse, cum Origenis dogmata ejuravit, atque hoc sane pacto ex verbis Hieronymi ipsos Palinodiam confecisse. Nam Palinodia, de qua loquimur, quemadmodum Garnerio et Norisio jam memoratis animadverti placuit, nihil demum aliud est quam certa quaedam sententiarum ex Hieronymi scriptis decerptarum collectio. Porro utcumque res se habeat, illud certissimum est eruditorum illorum, qui postea de celeberrimis Origenianis quaestionibus disputarunt, alios, ut habetur in ipso Bobiensi Codice, eam Hieronymo adscripsisse, alios vero Rufino cuidam, quin tamen quis et qualis fuerit, definirent: quamquam probabile est, quod clarius fortasse etiam deinceps elucebit, quando de Pelagianis dogmatibus sermo erit, eos de Rufino Syro Hieronymi familiarissimo locutos. Sed haec satis, quoad primam hanc disputationis partem; ex quibus omnibus sane pronum est intelligere ac certo statuere, Rufinum nullo unquam tempore Origenianis erroribus adhaesisse.

Quod si praeterea ostendamus viri tam eximii Scripta, quaecumque nobis reliqua sunt, tantum abesse ut maculosi aut suspiciosi aliquid in se contineant, ut etiam ubique magnum aliquod spirent et excelsum, ubique religionis ac pietatis quasi respersa floribus, luminibusque collustrata se prodant, et singula demum ipsa Origenis dog-

mata evidenter oppugnent, quid quaeso nobis deesse putandum est ad ejusdem sanctitatem et integram fidem tuendam atque in tuto collocandam? Adesse itaque ne forte renuant adversarii, ejusdemque scripta, quotquot supersunt, lynceis etiam, si placet, oculis inspicienda et mecum expendenda suscipiant: hoc videlicet ipsa Rufini verba a nobis prope efflagitare videntur atque exorare: « Ipsos enim deprecamur, ait, nihil praesumpto » vel praejudicato animo agere; sed quoniam ad » judicium Dei venturi sumus, non refugiant scire » quod verum est, ne forte ignorantes delinquant, » sed considerantes quia falsis criminationibus » percutere fratrum infirmorum conscientias in » Christum peccare est, ideo non accomodent cri- » minatoribus aurem suam, nec ab alio (Origene) » discant alterius fidem, maxime cum coram ex- » periri sit copia, et oris sui confessio quid vel » qualiter unusquisque credit, ostendat: sic enim » scriptum est, quia *Corde creditur ad justitiam,* » *ore autem confessio fit ad salutem* (1). » Quoniam igitur cujusque hominis fides, ut inquit Apostolus, ex ejus quidem dictis eruenda est, seu viva jam voce, sive alio quocumque signo prolatis, ne pigeat, omni opinione remota, Rufinum sibi ipsi patrocinantem, et Origeniana dogmata ex ordine refellentem audire.

(1) Rom. X. 10. — Praef. in Apol. Pamphyl. mart.

Ac primo quidem ecquis inficias iverit ejus verbis Origenianam illam doctrinam repudiari, qua nempe statuitur singula, quae nunc existunt, antequam facta se proderent, in Dei sapientia *formaliter* extitisse, cum sublimem illam supremi rerum Conditoris atque arbitri Dei nobis notionem tradit? « Deum cum audis, substantiam in» tellige sine initio, sine fine, simplicem, sine » admixtione, invisibilem, incorpoream, ineffabi» lem, inaestimabilem, in qua nihil adjunctum, » nihil creatum sit (1). » An non apertissime hisce verbis quaecumque creatarum rerum, sive earum quae videntur, sive earum etiam quae non videntur, cohaerentia omnino tollitur ac refutatur? — Origenis quoque doctrina de una videlicet atque eadem tum Angelorum, tum humanarum animarum natura praeclare a Rufino convellitur per ea verba, quibus arguit Hieronymum, quod Origenis sensa, nihil admonendo, adhibuerit: « Vides » quantam diversitatem naturae facit inter animas » et Angelos? .... sicut oves ab ove et drachma a » drachmis differunt; ita et animas cum Angelis esse » dicit, et eamdem formam, quam nunc habent An» geli, prius homo habuerit, et perdiderit, et homi» nem habiturum dicit in futuro (2). » — Neque minus aperte Origeni adversatur docenti, tum in praesenti hac, tum in altera vita, prout quisque

(1) Comment. in Symbol. Aquil. n. 4.
(2) Apolog. I. n. 41.

meritus fuerit, ejusdem quoque conditiones mutari sic prorsus, ut homo in Daemonii naturam aspectumque transire possit, et contra; uti patet ex hisce Rufini verbis adversus Hieronymum: « Ubi » evidentissime, nulla illius alii sibi interjecta per- » sona, dicit, angelos refugas, et principem mundi » hujus, et Luciferum qui mane oriebatur, in fine, » Christo supra sedente et regnante cum sanctis » suis, consortes ac socios, non solum regni ejus, » sed et voluntatis futuros.... Item quod non so- » lum in praesenti saeculo ascensus sit hominum » et descensus, de eo capitulo in quo ait (Aposto- » lus) *Supra omnem Principatum, et Potesta-* » *tem, et Virtutem, et Dominationem, et omne* » *nomen quod nominatur non solum in hoc sae-* » *culo, verum etiam in futuro* (1), post aliquan- » ta, si autem sunt, inquit, Potestates, Virtutes, » Principatus et Dominationes, necesse est ut et » subjectos habeant, et timentes se, et servientes » sibi, et eos qui a sua fortitudine roborentur. » Quid tu modo doces quod in futuro saeculo et » proficiant aliqui, et aliqui decrescant? Ergo il- » lud quod dicis, in hoc saeculo vita vel acquiritur » vel amittitur, non est verum, an occultam ha- » bet aliquam interpretationem? (2). » — Ad eumdem modum opinionem evertit, qua Origenes nitebatur statuere astra nimirum tum anima,

(1) Eph. I. 21.
(2) Apolog. I. n. 37-38.

tum etiam ratione praedita esse; subjicit enim « Sed quid adhuc .... et astra, vel caetera quae » in caelo sunt rationabilia dicit, et delicti capa- » cia (1)? » — Ubi vero sic praedicat: « Filium » quoqueDei in novissimis diebus natum esse con- » fitemur ex Virgine et Spiritu Sancto: carnem » naturae humanae, atque animam suscepisse, in » qua et passus est, et sepultus, et resurrexit a » mortuis: in eadem ipsa carne resurgens, quae » deposita fuerat in sepulchro: cum qua carne si- » mul atque anima post resurrectionem ascendit » in caelos: unde et venturum expectamus ad judi- » cium vivorum et mortuorum (2); » an non quidquid in his ab Origene erratum fuisse traditur, ipse funditus eruit et evertit? — Mundorum vero sibi invicem succedentium multitudinem prope infinitam non palam infirmat ac destruit sequentibus verbis? « Etenim ab initio Deus cum fe- » cisset mundum, praefecit ei et praeposuit quas- » dam virtutum caelestium potestates, quibus re- » geretur et dispensaretur mortalium genus; quod » ita factum Moyses indicat in Deuteronomii Can- » tico ubi dicit: *Cum divideret Excelsus gen- » tes, statuit terminos gentium secundum nu- » merum Angelorum Dei* (3); » et alibi: « Quod » autem resurgat mortalis caro, talibus asserit ar-

(1) Cit. Apolog. n. 40.
(2) Apolog. ad Pontif. Anast. n. 3.
(3) Deut. XXXII. 8.

» gumentis Apostolus Paulus dicens: *Sicut enim*
» *in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo*
» *omnes vivificabuntur, unusquisque autem in*
» *ordine suo, initium Christus, deinde qui sunt*
» *Christi in adventu ejus; deinde finis* (1). » —
Praeterea evidenter docet Christum Jesum acerbissimo suppliciorum genere et morte crudelissima omnia tum in caelis tum infra, inito quasi foedere, late composuisse, quin necesse ipsi fuerit in posterum aut in aere, aut aliquibus caeli regionibus, iterum necem oppetere, quemadmodum ab Origene tradebatur. Sunt enim hujusmodi, quae ad laudem augusti Ligni pronunciavit: « Docet
» Apostolus Paulus (2) illuminatos esse debere ocu-
» los cordis nostri ad intelligendum quae sit alti-
» tudo, latitudo et profundum. Altitudo ergo, et
» latitudo et profundum descriptio crucis est; cujus
» eam partem, quae in aera defixa est, profundum
» appellavit. Altitudinem vero illam, quae super
» terram porrecta sublimis erigitur. Latitudinem
» quoque illam, quae distenta in dexteram levam-
» que manum protenditur. Cum ergo tot species
» mortis sint, quibus de hac vita exitus dari homi-
» nibus solet, quid vult nos Apostolus illuminato
» corde scire rationem, cur ex his omnibus cru-
» cis potius species ad mortem delecta sit Salvato-
» ris? Unde sciendum est quod crux ista triumphus

(1) I. Cor. XV. 24.—Comment. in Symb. Aquil. n. 13. et 41.
(2) Eph. I. 18., et III. 18.

2202

» erat; triumphi enim insigne est trophaeum; tro-
» phaeum autem devicti hostis indicium est. Quia
» ergo adveniens Christus, sicut Apostolus dicit,
» tria pariter sibi regna subjecit (hoc enim indi-
» cat ubi ait: *Quia in nomine Jesu omne genu*
» *flectatur caelestium, terrestrium et inferno-*
» *rum* (1), et haec omnia sua morte vincebat):
» conveniens mysterio mors quaesita est, ut in
» aere sublimatus, et aereas subjugans potestates,
» victoriam de his supernis et caelestibus trade-
» ret. Expansas autem manus tota die, sanctus
» Propheta dicit (2), eum tenere ad populum, qui
» est in terra, ut et incredulos contestaretur, et in-
» vitaret credentes. Ea vero parte, quae sub terra
» demergitur, inferna sibi regna subjiceret (3). » —
Radicitus autem exturbat et Origenianum dogma, quo asseritur nostrum hunc adspectabilem mundum ideo conditum esse, ut itidem quae jam antea extiterant, animae expurgarentur, conversa iterum ad Hieronymum oratione: « Mundum, ais,
» fuisse invisibilem antequam hic visibilis fieret;
» in quo mundo cum reliquis habitatoribus, an-
» gelis scilicet, et animae erant. Istas animas, ais,
» ob quasdam causas soli Deo cognitas in hoc vi-
» sibili mundo nasci in corporibus, et quae antea
» habitaverant caelum apud prius saeculum, nunc

(1) Philip. II. 10.
(2) Js. LXV. 2.
(3) Comment. in Symb. Aquil. n. 12.

» hic habitant, terram scilicet, non extra causas » aliquas, quas ipsae inibi vivendo commiserint. » Et, ais, quod sancti quique, ut et Paulus et cae- » teri similes ei, per generationes singulas ad eru- » ditionem earum a Deo destinati sunt, ut eas » praedicatione sua, ad illam beatitudinem suam, » unde collapsae fuerant, revocarent, et hoc co- » piosissimis Scripturarum testimoniis firmas. Et » quae sunt alia quaeso dicta pro quibus Ori- » genem in jus vocas? Quae alia sunt in quibus » eum damnari jubes? Alium ne damnas in tuis? » Et si hujusmodi dicta damnanda sunt, feres tu » prius sententiam, et pro dictis talibus prior te » ipsum condemnabis. Neque enim jam tibi ultra » ullum remansit effugium (1) ». —Damnatorum vero cruciatus non in conscientia facinorum, sed in vero igne eumdem Rufinum posuisse ex his evincitur : « illud sane omnem, qui hos li- » bros περὶ ’αρχῶν descripturus est vel lecturus, » in conspectu Dei Patris et Filii et Spiritus San- » cti contestor atque convenio per futuri regni fi- » dem, per resurrectionis ex mortuis sacramen- » tum, per illum qui praeparatus est diabulo, et » angelis ejus aeternum ignem (sic non illum lo- » cum aeterna haereditate possideat (2), ubi est

(1) Apolog. I. n. 28. — Caeterum cum ista, tum alia Origenis dogmata a Hieronymo improbata Rufino non nisi eruditionis causa maximus Doctor in suis Operibus retulit; quod semel animadvertisse sufficiat.

(2) V. Hieronym. lib. II. contr. Rufin. n. 6.

» fletus et stridor dentium, et ubi ignis eorum » non extinguetur, et vermis eorum non morie- » tur) ne addat aliquid Scripturae, ne auferat, » ne inserat, ne immutet; sed conferat cum exem- » plaribus unde scripserit, et emendet ad lite- » ram, et distinguat, et inemendatum vel non » distinctum codicem non habeat, ne sensuum » difficultas, si distinctus codex non sit, majores » obscuritates legentibus generet (1). » — Damnatorum quoque eorumdem supplicia sempiterna clare aperteque esse testatur: « Didicimus enim, » ait, et judicium futurum, in quo judicio unus- » quisque recipiat propria corporis prout gessit sive » bona sive mala. Quod si homines recepturi sunt » pro operibus suis; quanto magis et diabolus, qui » omnibus extitit causa peccati? De quo illud sen- » timus quod scriptum est in Evangelio: quia et » ipse diabolus et omnes angeli ejus cum his qui » opera ejus faciunt, idest, qui criminantur fra- » tres, cum ipso pariter aeterni ignis haereditate » potientur. Si quis ergo negat diabolum aeternis » ignibus mancipandum, partem cum ipso aeterni » ignis accipiat, ut sentiat quod negavit (2). » — Idcirco in Hieronymum invehitur, quem sic loquentem inducit: « Ego autem scrutatus sum quod in » finem saeculorum omnis creatura rationabilis » in unum corpus restituatur sicut ab initio fuit,

(1) Praef. I. in lib. Periarcon Origen.

(2) Apolog. ad Pontif. Anast. n. 5.

» ita ut et homo ad Paradisum revocetur, et an-
» gelus refuga supra Petrum et Paulum exaltetur,
» cui ipsi ad Paradisum, utpote homines, postpo-
» nendi sunt, ille autem in id quod ex initio crea-
» tus est, reparetur, ut fiant omnes simul ecclesia
» primitivorum in caelestibus, et sint, dum in of-
» ficiis quidem singulis quibusque sunt, mem-
» bra Christi. Universitas vero cunctorum perfe-
» ctum Christi sit corpus .... vides quia totum
» cum irrisione agis et poenitere te ideo dicis (de
» talibus) ut fallas eos quibus scribis (1). » — Ne-
que hic consistit; nam jure etiam conqueritur,
quod obtrectatores sui eum locum corrumpere
ausi sint, ubi ipse nonnulla tradiderat de visibilita-
te divina, qua in re erravisse Origenem novimus,
quando dixit Patrem Filium suum non videre.
En Rufiniana verba: « Sed nunc ausculta quid
» faciunt, et flagitium eorum require, si nullum
» praecessit exemplum. In eo loco ubi scriptum
» erat, *Quod si requiris a me quid etiam de*
» *ipso Unigenito sentiam, sine ipsi quidem vi-*
» *sibilem dicant naturam Dei, qui naturali-*
» *ter invisibilis est, non tibi statim vel impium*
» *videatur esse vel absurdum, rationem nempe*
» *dabimus consequenter.* Pro eo quod nos scri-
» psimus, *Rationem quippe dabimus consequen-*
» *ter,* illi scripserunt, *Non tibi statim impium*

(1) Apolog. I. contra Hieronym. n. 45.

» *vel absurdum videatur esse, quia sicut Filius* » *Patrem non videt, ita nec Spiritus Sanctus* » *videt Filium*.... mihi tamen in hoc Dei et ve- » stri sufficit testimonium, idest tuum (o Apro- » niane) et sancti viri ipsius, qui hoc opus gere- » bam, Macarii, qui schedulas ipsas meas vel ab » initio legistis, vel etiam licet nondum completa, » et ad integrum emendata exemplaria retinetis, » idest, quia *Sicut Filius Patrem, nec Spiritus* » *Sanctus Filium videt*, idest, quod ego non so- » lum nunquam non scripsi, sed e contrario, » quia ille falsavit, indico. Si quis negat quod non » ita videt Filius Patrem, sicut Pater Filium: et » non ita videt Spiritus Sanctus Patrem et Filium, » sicut videt Pater Filium et Spiritum Sanctum, » anathema sit. Videt enim, et verissime videt, » sed ut Deus Deum, et lux lucem, et non ut » caro carnem, sed ut Spiritus Sanctus non cor- » poreis sensibus, sed virtutibus Deitatis. Si quis » haec negat, sit anathema in aeternum. *Qui au-* » *tem nos conturbat*, sicut dicit Apostolus, *porta-* » *bit judicium quicumque est ille* (1). » — Quin interrogatus quid ipse sentiret de origine anima- rum, quas Adamantius ante omnino, quam cor- pora, creatas fuisse dictitabat, ita ad Anastasium Pontificem summum respondit: « Audio et de » anima quaestiones esse commotas. De qua re

(1) Galat. V. 10. — Apolog. I. n. 19.

» utrum recipi debeat quaerimonia, aut abjici, vos » probate. Si autem et de me quid sentiam quae- » ritur, fateor me de hac quaestione apud quam- » plurimos Tractatorum diversa legisse. Legi quos- » dam dicentes quod pariter cum corpore per » humani seminis traducem etiam anima difun- » datur: et hoc quibus poterant assertionibus con- » firmabant. Quod puto inter alios Tertullianum » sensisse, vel Lactantium, fortassis et alios non- » nullos. Alii asserunt quod formatis in utero » corporibus, Deus quotidie faciat animas et in- » fundat: alii quod factas jam olim, idest, tunc » cum omnia Deus creavit ex nihilo, nunc eas » judicio suo dispenset in corpore. Hoc sentit et » Origenes et nonnulli alii Graecorum. Ego vero » cum haec singula legerim, Deo teste dico, quia » usque ad praesens certi et definiti aliquid de » hac quaestione non teneo, sed Deo relinquo » scire quid sit in vero, et si cui ipse revelare di- » gnabitur. Ego tamen haec singula et legisse me » non nego, et adhuc ignorare confiteor, praeter » hoc quod manifeste tradit Ecclesia, Deum esse » animarum et corporum creatorem (1). » — Non-nihil etiam addidit in suis scriptis de corporis habitu et forma, quibus primos jam parentes donatos fuisse Origenes negabat, sic opinionem rejiciens eorum qui sexuum resurrectionem aliquando fu-

(1) Apolog. ad Anast. Pontif. n. 6.

turam admittere recusabant: « Etenim si luteam » formam ex resurrectione homo tantum receptu- » rus putatur, quam in Paradiso habuit, ubi est » quod scriptum est, quia *masculum et faeminam* » *fecit eos* (1)? » Quae profecto verba de primis illis humanae stirpis auctoribus prolata fuerunt, antequam inhobedientiae crimine pollucrentur. —Sed disertior est in refutanda doctrina de sexibus non resumendis,qui et dissertissimus fuerat, cum carnis resurrectionem aliquando futuram comprobavit: « Sed eodem ordine, eadem con- » sequentia, pari eademque forma, qua ipse Do- » minus resurrexit a mortuis, nos quoque resur- » recturos esse credimus; non nubes aut aures » tenuas, ut calumniantur: sed haec ipsa in qui- » bus vel vivimus, vel movemur, nostra corpora » recepturi. Nam quomodo verum erit quod re- » surrectionem carnis credimus, nisi in ea verae » et integrae carnis hujus nostrae, in qua nunc » sumus, resurrectionem fatemur? Verum ad ma- » jorem rei fidem addo aliquid amplius, et calum- » niosorum necessitate compulsus, singulare et » praecipuum Ecclesiae nostrae mysterium pan- » do. Etenim cum omnes Ecclesiae, ita sacra- » mentum Symboli tradant, ut postquam dixe- » rint *peccatorum remissionem*, addant *carnis* » *resurrectionem*, sancta Aquilejensis Ecclesia

(1) Genes. I. 27. – Apolog. I. n. 25.

» Dei spiritu futuras adversus nos calumnias prae-
» vidente, ubi tradit carnis resurrectionem, addit
» unius pronominis syllabam, et pro eo quod
» caeteri dicunt *carnis resurrectionem*, nos dici-
» mus *hujus carnis resurrectionem*, qua scilicet
» frontem, ut mos est in fine symboli, signaculi
» contingentes: et ore carnis hujus, videlicet quam
» contigimus, resurrectionem fatentes, omnem
» venenatae adversum nos linguae calumniandi
» aditum perstramus. Est ne aliquid hac exposi-
» tione perfectius (1)? » — Quibus ad carnis resur-
rectionem propugnandam allatis, ad Hieronymum
hac se oratione convertit: « Quae mulier dixit ali-
» quando, quod uxores in viros convertantur, et
» corpora redigantur in animas, quod tu scribis?
» Si corpora in animas redigentur, ergo secun-
» dum te non solum carnis resurrectio non erit,
» sed nec corporum, quod confiteri istos, quos
» tu fecisti haereticos, dicis. Ubi jam ultra corpus
» quaeremus, si in animam redigetur? Erit enim
» totum anima, et nusquam corpus. Et iterum si
» uxores in viros commutabuntur, pro eo quod
» subjunxisti, ut nequaquam sit sexuum ulla di-
» versitas, quasi ab hoc ostenderes, quia sexus
» quidem faemineus interibit ex eo quod redige-
» tur in virum, solus autem manebit virilis: ne-
» scio quidem si haec tibi de se dicere faemina-

(1) Apolog. I. n. 5.

» rum sexus permittat. Tamen et si ab illis con-
» ceditur, qua consequentia poteris ostendere ibi
» virilem sexum esse necessarium, ubi faemineus
» necessarius non probatur, quia naturali quodam
» vinculo in tantum sexus alter eget alterius, ut
» si alter non sit, alterius opus non sit (1)? » —
Neque minor profecto ejus in dicendo perspicuitas, ubi aeternae beatitatis perfruitionem strictiori sensu, non vero allegorico accipiendam declarat: « Jam vero de ipsa resurrectionis gloria
» et de repromissionis magnitudine, si quis ple-
» nius scire desiderat, in omnibus pene divinis
» Voluminibus inveniet indicari. Ex quibus nos
» commonitionis tantummodo gratia, pauca in
» praesenti loco memorantes finem injuncti Opu-
» sculi faciemus.... Igitur Apostolus dicit: *Dein-*
» *de nos qui vivimus, qui reliqui sumus, simul*
» *cum illis rapiemur in nubibus obviam Chri-*
» *sto in aera, et ita semper cum Domino eri-*
» *mus* (2). Nec mireris si caro sanctorum in tan-
» tam gloriam ex resurrectione mutabitur, ut in
» occursum Dei suspensa nubibus, et in aere
» vecta rapiatur, cum ipse Apostolus exponens
» quantum conferat Deus his qui diligunt eum,
» dicat: *Quia reformabit corpus humilitatis no-*
» *strae conforme fieri corpori claritatis suae* (3).

(1) Apolog. I. n. 25.
(2) I. Thes. IV. 16.
(3) Philip. III. 21.

» Nihil enim absurdum si sanctorum corpora di-
» cantur nubibus in aere substolli cum ad formam
» corporis Christi, quod in dextera Dei sedet,
» dicantur reformata....Nec hoc tibi contra natu-
» ralem corporis rationem videatur esse promis-
» sum. Si enim credimus secundum ea quae scri-
» pta sunt, quod accipiens Deus limum terrae plas-
» mavit hominem (1): et haec fuit natura corpo-
» ris nostri, ut voluntate Dei terra verteretur in
» carnem: cur tibi aut absurdum, aut contrarium
» videtur, si iisdem rationibus, quibus terra pro-
» ficisse dicitur in corpus animale, in corpus pro-
» ficere spiritale credatur (2)? » — Ne quis vero existimet in eam illum fortasse sententiam ivisse, ut crederet aquas caelo superiores esse, videlicet angelos daemones vero inferiores. Siquidem nullos ille ab initio temporum Angelos admittit, nisi qui adhuc integri et laudabiles una cum Deo caelestia obtinebant, a quibus perduelles spiritus segregavit, et ab supernis sedibus in imam terram dejecit, qui sua potestate abusi sunt; ac in Genesi quidem de aquis superioribus et inferioribus sermo est, prius quam defectio illa miserrima rebellantium Angelorum, eorumdemque in ima tartari dejectio tetris coloribus expingantur. Nos vero nihil de illis plane certi ac perspecti habemus, nisi quod primum humani generis patrem delin-

(1) Genes. II. 7.
(2) Comment. in Symb. n. Aquil. 44–45.

quendo antecesserint. — Insuper tam longe abest, ut Rufinus ab homine Dei imaginem ob patratum scelus amissam affirmet, ut etiam plane ac dilucide tradat ex originali illa labe peccatorum chyrographa adversus nos scripta fuisse; quae ut deleret, advenies Jesus Christus humanam omnino formam, humanos mores non horruit induere. Ipsissimis ejusdem verbis uti libet: « *Statuit* (Excel» sus) *terminos gentium secundum numerum* » *Angelorum Dei* (1). Sed et horum nunnulli, » sicut et ipse qui princeps appellatus est mundi, » datam sibi a Deo potestatem, non his quibus » acceperat legibus temperaverunt: nec humanum genus divinis obedire praeceptis, sed suis » parere praevaricationibus docuerunt; et hinc » adversus nos peccatorum chirographa scripta » sunt, quia, ut Propheta dicit, *Peccatis nostris* » *venumdati sumus*.... (2). Per istud ergo unus» quisque chirographum illis rectoribus pessimis » tenebatur, quod Christus detraxit adveniens, » et hac eos potestate denudavit.... Illos itaque » qui accepta potestate male abusi sunt, subjectis » quondam suis subjectis crux Christi.... *Qui cum* » *in forma Dei esset, non rapinam arbitratus* » *est se esse aequalem Deo, sed semetipsum* » *exinanivit formam servi accipiens, in simili-* » *tudinem hominum factus, et habitu repertus*

(1) Deut. XXXII. 8.
(2) Is. L. 1.

» *ut homo* (1). » — Tandem, ut quae prope nullius momenti et ponderis habenda sunt, silentio praeteream; cum ea quoque sibi nota ab obtrectatoribus inusta fuerit, quod nimirum cum Origene perjurii dogma proposuerit ac propugnaverit, ab ejusmodi se etiam calumnia liberat, ita loquens adversus Hieronymum: « Verumtamen quoniam » perjurii ejus dogma proponitur, nihil ad me si » iste vel agat vel scribat, quia apud nonnullos fra- » trum etiam hanc nobis inuere conatus est ma- » culam, et nunc iterare per literas, secundum ab » illo datam regulam: quid ego ipse de perjurio » sentiam, profero, ut de se iterum sibi ipsi judi- » cium derelinquam. Etenim cum Dominus et Sal- » vator noster dicat in Evangeliis, *Dictum est an-* » *tiquis, non perjurabis, reddes enim Domino* » *juramenta tua; ego autem dico vobis nolite ju-* » *rare omnino* (2): omnis qui docet quacumque ex » causa pejerandum esse, ego dico quod alienus sit » a fide Christi, et ab Ecclesiae unitate Catholi- » cae (3). » — Juvat etiam extremo loco Rufini nostri de Trinitate doctrinam proferre, in cujus tractatione argumenti libros Origenis adversariorum malevolentia fuisse corruptos nonnulli suspicantur: « Unusquisque, ait ipse, sciat quod de Trinita- » te ita credimus, quod unius naturae sit, unius

(1) Philip. II. 5. — Comment. in Symb. Aquil. n. 13.
(2) Matth. V. 34.
(3) Apolog. II. n. 3.

» Deitatis, unius ejusdemque virtutis atque sub-
» stantiae: nec inter Patrem et Filium et Spiritum
» Sanctum sit prorsus ulla diversitas, nisi quod
» ille Pater est, hic Filius, et ille Spiritus Sanctus.
» Trinitas in subsistentibus personis, unitas in
» natura atque substantia (1). » Sed quid ego de integra Rufini fide animoque incontaminato plura commemoro? Profecto extrema ejus verba, quibus suae ad Anastasium Pontificem Apologiae finem imponit, hujusmodi sunt, ut non reverentiam modo, sed et amorem erga ipsum vel ab invitis extorqueant. « Ego praeter hanc fidem, ait, quam
» supra exposui, idest, quae Ecclesia Romana, et
» Alexandrina, et Aquilejensis nostra tenet, quae-
» que Hierosolymis praedicatur, aliam nec habui
» unquam, nec habeo in Christi nomine, nec ha-
» bebo. Et si quis aliter credit, quisque ille est,
» anathema sit. Reddent autem in die judicii ratio-
» nem hi, qui offendicula, et dissensiones, et scan-
» dala fratribus propter invidiam solam generant
» et livorem (2). » Quid tandem? Ipse palam se Origenis neque assertorem neque defensorem profitetur his solemnibus verbis: « Nemo ergo mihi,
» quaeso, te sancte ac venerabilis et beate Pater
» (Anastasi), conflet invidiam: nemo factionibus
» utatur et calumniis, quod in Ecclesia Dei fieri non
» licet. Ubi enim simplicitas tuta erit et innocentia,

(1) Apolog. ad Pontif. Anast. n. 2.
(2) Eadem Apolog. n. 7.

» si hic non erit? ORIGENIS EGO NEQUE DEFENSOR » SUM, NEQUE ASSERTOR, NEQUE PRIMUS INTERPRES. » Alii ante me hoc idem opus fecerant, feci et » ego postremus rogatus a fratribus. Si jubetur » ne fiat, jussio observari solet in posterum. Si » culpantur qui ante jussionem fecerunt, culpa a » primis incipiat. »

Cum itaque nos hactenus Rufini Scripta non solum omnis erroris ac labis expertia quemadmodum publica antiquitatis vox, Auctorisque nostri nobilissimi ingenua testificatio confirmat (1), verum etiam ab Origenianis doctrinis toto caelo distantia, iisdemque contraria probe ostenderimus, necessario sequitur, eumdem studiosum quidem admiratoremque Origenis fuisse, nunquam vero ejus erroribus adhaesisse. Rem totam concludat idem Vir aequissimi animi sincerique judicii: « Quod si quis in contentione sua permanet, nos » talem consuetudinem non habemus. Definitum » enim est apud nos, si quando eum (Origenem), le» gimus, secundum sancti Apostoli commonitio» nem tenere, quae bona sunt (2). Si quid autem » inventum fuerit in his, quod cum fide catholica » non consonat, hoc et ab haereticis suspicamur » insertum, et tam ab illius sensu, quam a nostra » fide ducimus alienum. In quo etiam si fallimur,

(1) « Scripta mea nulla extant in quibus error meus aliquis cor» rigendus sit. » Apolog. II. n. 31.

(2) I. Thes. V. 21.

» nihil, ut opinor, periculi hujuscemodi errore in-» currimus. Nam et ipsi, Deo juvante, permane-» mus illaesi vitando ea quae suspecta habemus, » et improbamus, et accusatores fratrum non in-» veniemur apud Deum, quia Diaboli proprium » hoc opus esse dicitur accusandi fratres (1), unde » et diabolus a criminando nomen accepit, simul » et maledicorum sententiam, quae a regno Dei » separat eos, qui tales sunt, declinemus (2). »

Sed tempus jam est ad alteram Apologiae partem gradum facere, in qua Rufinus nobis purgandus a crimine, quod ipsi praeterea apponitur, Pelagianae nimirum haereseos auctorem fautoremque se praebuisse. Atque hic illud in primis animadvertendum arbitror, quod cum Pelagiana haeresis plane ab Origeniana doctrina tamquam a fonte rivulus effluxisse existimanda sit, idcirco nemini mirum esse debet, si extinctum Ecclesiasticae sapientiae Lumen vel hujus criminis insimulaverint cum Hieronymo ejusdem obtrectatores atque aemuli. Quoniam vero triplicis, quod ad hanc haeresim pertinet, reum criminis Rufinum pervincere conantur iidem obtrectatores, singulas accusationes memorabo ordine temporum servato, in quibus eosdem obrepsisse historia nos docet.

Ac primo quidem Caelestius, antiquorum scilicet haereticorum ille impudentissimus in Concilio

(1) Apocal. XII. 10. — a verbo Διαβάλλω; *Accuso, Condemno*, etc.
(2) De Corrupt. lib. Orig.

quod celebratum est Chartagine anno quadringentesimo supra duodecimum, biennio a Rufini interitu videlicet elapso, palam asserere non dubitavit, se jam didicisse a Rufino presbytero originalis peccati propagationem, seu, ut ajunt, traducem inficiari: cujus rei historia ab Augustino ita traditur: « Aurelius Episcopus dixit: sequentia reci-
» tentur. Et recitatum est quod peccatum Adae
» ipsi soli obfuerit, et non generi humano. Et cum
» recitatum esset, Caelestius dixit; Dixi de traduce
» peccati dubium me esse; ita tamen ut cui do-
» navit Deus gratiam peritiae consentiam, quia
» diversa ab eis audivi, qui utique in Ecclesia
» Catholica constituti sunt Presbyteri. Paulinus
» Diaconus dixit: Dic nobis nomina ipsorum. Cae-
» lestius dixit: Sanctus Presbyter Rufinus Romae
» qui mansit cum sancto Pammachio. Ego audivi
» illum dicentem: Quia tradux peccati non sit.
» Paulinus Diaconus dixit: Dic nomina et aliorum.
» Caelestius dixit: Non tibi sufficit unus sacerdos(1)? » Atque hactenus Caelestius, cujus verba nonnulli de Aquilejensi nostro accipienda autumarunt. Jure ne an injuria?

Adducendi in hunc pulverem et solem septeni ea aetate non ignobiles viri, quos Rufini nomine vocitatos et passim cognitos tradit Fontaninius (2), ut inde cognosci possit, ad quem

(1) Lib. III. De Peccat. Origin. Tom. X. Opp. ed. Parys.
(2) Hist. Lit. Aquil. lib. V. cap. 18.

Caelestii accusatio pertineat. Extat itaque in primis Divi Joannis Chrysostomi (1) Epistola ad quemdam Rufinum presbyterum, qua eumdem rogat ut velit in Phaeniciam contendere, et quibusdam Monachis subsidio esse, qui post crudelissimam sociorum internecionem ab ethnicis ea loca incolentibus male habiti fuere et pro capite dimicarunt. Extant praeterea et complures Epistolae Sancti Nili (2) ad alium Rufinum et ipsum Ecclesiasticae militiae addictum, quem ἡσιγαστὴν (idest solitarium) appellat, quique ex Tillemontii (3) et Fontaninii (4) judicio haud sane idem ille est habendus Chrysostomi familiaris, quem superius attigimus. Quin et Divus Augustinus (5) ad Paulinum Nolanum cum literas mitteret, eidem commendat humanissimis verbis Rufinum suum, qui Diaconatus muneribus fungebatur. Et a Hieronymo mentionem factam didicimus de Rufinis duobus aliis, quorum alter laudatur in ejusdem ad nostrum Aquilejensem Epistola hisce verbis: « Sanctum quoque Presbyterum Rufinum, ob quandam causam per Romam Mediolanum misimus, et oravimus ut nostro animo vos (o Rufine Aquilejense) videret (6). » De quo etiam commemorat

(1) Epist. CXXVI.
(2) Lib. VI. Epist. XVII., et XLIV. etc.
(3) Opp. Tom. XII. p. 108.
(4) Hist. Lit. Aquil. Lib. V.
(5) Epist. XL. alias LVI.
(6) Epist. XLII. alias LXVI.

in Apologiae contra Rufinum libro tertio: « Vin-
» centius, Paulinianus, Eusebius, Rufinus Presby-
» teri: quorum Vincentius multo tempore ante
» vos Romam venit. Paulinianus et Eusebius post
» annum vestrae navigationis profecti sunt (idest
» Christi 398): Rufinus in causam Claudii post
» biennium misimus (399) (1). » Ad alterum vero datae sunt ab ipso Hieronymo literae *De judicio Salomonis, et sectione parvuli*, sic inscriptae: *Ad Rufinum Presbyterum Romae.* His omnibus addendus alius est Rufinus Divi Prosperi familiarissimus, ad quem eruditissimam *De gratia et libero arbitrio* Epistolam ab eodem divo Prospero datam fuisse tradunt Pelagianae Historiae Scriptores (2). Venit demum Aquilejensis noster, seriemque concludit.

Ecquis igitur horum docuit Caelestium peccati traducem nequaquam admittendum esse? Inquirentibus facem praefert Marius Mercator in Commonitorio suo per haec verba: « Quaestio contra
» Catholicam fidem apud nonnullos Syrorum, et
» praecipue in Cilicia a Theodoro quondam Epi-
» scopo oppidi Mopsuesteni jam dudum mota,
» nunc usque penes paucos .... *Progenitores vide-*
» *licet humani generis Adam et Evam mortales*
» *a Deo creatos, nec quemquam posterorum sui*
» *praevaricatione transgressi laesisse, sed sibi*

(1) Epist. CXXXI. ed. Victor. in Ædib. Populi Roman.
(2) Inter Opp. August. Tom. XII.

» *tantum nocuisse, seque mandati reos apud* » *Deum fecisse, alterum paenitus nullum.* Hanc » ineptam et non minus inimicam rectae fidei » quaestionem sub sanctae recordationis Anastasio Romanae Ecclesiae summo Pontifice Rufinus » quondam natione Syrus Romam primus invexit, et ut erat argutus, se quidem ab ejus invidia muniens, per se proferre non ausus, Pelagium gente Britannum Monachum tunc decepit, » eumque ad praedictam apprime imbuit, atque instituit impiam vanitatem. » Ex quibus facile est intelligere hunc omnino esse Rufinum, a quo Caelestius profitetur se jam didicisse traducem peccati esse rejiciendum, quandoquidem tota temporis adjunctorumque ratio plane ad hunc unum designandum consentit. Profecto Anastasius ad summum Pontificatus honorem evectus est anno 398, et ad annum usque 402 illum obtinuit. Jam vero quonam tempore, percontor ego, fertur divus Hieronymus Rufinum suum Romam ac Mediolanum misisse? Primo nimirum anno, quo Anastasius Pontificalem dignitatem adeptus est; cum ex allato Doctoris nobilissimi testimonio constet Rufinum eumdem anno 399 in Italiam appulisse. Neque vero alio consilio ad diversas hac atque illac civitates viros praestantissimos miserat, nisi ut earumdem Antistites ad sententiam de Origenis erroribus pronunciandam impellerent. Quod ipsis ex voto accidisse Hieronymus ipse testatur, dicens:

« Beati Episcopi Anastasius (Romanus), et Vene-
» rius (Mediolanensis), et Chromatius (Aquilejen-
» sis)..... pari sententia, quia pari et spiritu, illum
» (Origenem) haereticum denuntiant populis (1). »
Atque hoc nimirum tempus fuit, quo Rufinus Syrus, seu mavis dicere, Palaestinus (nam Palaestinae regio erat cum Syria conjuncta), Hieronymi amicus cum esset, Pammachium in primis adiit, collatis etiam simul viribus et signis adversus Origenem et Rufinum Aquilejensem. Interim Caelestius, quemadmodum habetur in Synodo Chartaginensi, Rufini familiaritate et consuetudine in Pammachii domo uti caepit; quo demum contigit, quemadmodum ex Mercatore constat, ut non Caelestium modo, sed Pelagium etiam, a quo nomen accepit haeresis, suis Rufinus doctrinis imbueret. Ex his omnibus patet, ut animadvertere placuit ipsi Garnerio alias nobis contrario, Rufinum illum qui originalis peccati traducem denegavit, a nostro Aquilejensi esse omnino diversum, rerumque adjuncta, quae superius memoravimus, potius cum Syro congruere. Neque obstat, quod hic Hieronymi familiaritate et amica fide usus fuerit; quandoquidem neque Christianae Religionis Auctori quidquam reverentiae et honoris detraxit Iscariotis Apostolorum in numerum cooptatio; neque cuipiam ignotum arbitror, tum Augustinum,

(1) Lib. II. contra Rufin. n. 22.

tum Hieronymum pluries in suis Epistolis conquestos esse, quod suos inter discipulos fautoresque quidam saepe inventi fuerint, qui ovina pelle fraudes erroresque nefarios contegebant, intus lupi rapaces (1).

Ut tamen res omnis clarius eluceat, juvat praeterea acu prope contingere, et oculis cernere, quemadmodum singula quaeque hujusce facti adjuncta et species Palaestino conveniunt, nulla vero ex parte Rufino Aquilejensi, ut propterea ad illum quidem neque unco impacto traduci queant. — Rufinum peccati traducem repudiantem Marius Mercator Syrum seu Palaestinum appellat; nostrum Palladius eidem maxime addictus, Heraclides, ipse demum Hieronymus, Italum et Aquilejensem nominant. — Ex eo quod Mercator usus est vago pronomine *quidam*, fas est conjicere ipsum loqui voluisse de homine non plane noto. Nostri cui nomen non auditum? cujus res gestae, et gloria pares? — Rufinus, de quo Mercator, « Sub Anastasio primum Romam invexit inimicam rectae fidei quaestionem de peccato originali; » Aquilejensis, de quo nos, ipso Hieronymo teste (2), in Italiam appulit anno Syricii tertio decimo, *Formatisque Literis* (3) ab Urbe

(1) Apud Garner. Dissert. I. de Haeres. Pelag. inter Opp. August. Tom. XII.

(2) Lib. II. contr. Rufin. n. 22.

(3) Vid. supra pag. 26.

discessit, ante quam Syricius diem suum obiisset, Aquilejamque contendit suos revisurus, a quorum complexu triginta jam annos divulsus erat, ubi ad Anastasium Papam literis missis expostulavit, ut se excusatum haberet, quod longis peregrinationibus jam ante susceptis prope fractus impediebatur, quominus Romam ipse peteret ad criminationes adversariorum dissolvendas (1). Aquilejae igitur commoratus est, quandiu summam Christiani imperii Anastasius obtinuit, immo vero, quod probe jam ostendimus (2), numquam se inde dimovit usque ad annum 404, quo scilicet, Gothorum turmis tum primo ingruentibus, Ravennam secessit, et in Pinetensi caenobio delituit (3). Inde sub Innocentio, Anastasii decessore, iterum Romam venit (4), ibique aliquandiu consistens, cum totam late Italiam Barbarorum permissam libidini, atque adeo eversam videret, in Siciliam trajecit, ubi in conspectu Rhegii (5) hostium furore et flammis miserrime conflagrantis extremo fato concessit. Hinc liquet Rufinum Aquilejensem Anastasii tempore numquam Romae adfuisse. — Rursus Rufinus, a Caelestio commemoratus, « Romae mansit cum sancto Pam» machio. » Ecquis autem sibi persuaserit Aquile-

(1) Apolog. ad Pontif. Anast. n. I.
(2) In ejus vita inter PP. Aquil. Opp. Tom. II. pag. 21.
(3) Pariter in vita inter PP. Aquil. Opp. Tom. cit. pag. 14.
(4) Paulin. Nolan. Epist. XLVII., alias XLVIII.
(5) Rufin. Praef. ad Homil. Origen. in lib. Numer.

jensem Rufinum cum ejusmodi adversario iniisse societatem, qui Hieronymo se prope devoverat, subjectisque facibus eo Anastasium deduxerat, ut Origeniana dogmata anathemate percelleret (1)? — Accedit eodem, quod Caelestius plane loquitur de Rufino adhuc vivo, quandoquidem si de extincto locutus esset, virum, ut mos erat ea tempestate, *Beatae memoriae et sanctum* praedicare minime dubitasset. Porro Aquilejensis Rufinus biennio jam antea, quam supra dictum Concilium haberetur, e vita migraverat. — Ad extremum Rufinus hic noster ex Origenis opinionibus ac sententiis sane non poterat peccati traducem denegare, quippe quia Origenes, quantum ad hoc attinet, etiam justos limites praetergressus fuit, cum scriberet animas, donec praeteritae vitae vitia eluant, corporis vinculis coerceri; quam profecto Adamantii sententiam nunquam Rufinus amplexus est, ut supra demonstravimus. Quibus omnibus probe expensis, jure optimo Garnerius concludit verba Caelestii et Pelagii, quae protulimus, Syro seu Palaestino congruere, ad Aquilejensem Rufinum nullo modo pertinere.

Praeterea nonne jure suspicari possumus cum eruditissimo Bernardo Maria De Rubeis id in concione calumniose prolatum a Caelestio, et minus diligenter a Mercatore memoratum (2)?

(1) Rufin. passim in suis Apolog.
(2) Monument. Eccl. Aquil cap. XIV. n. 7.

Quid ni Caelestius in tantorum virorum conspectum adductus, interrogatusque a Paulino quid de traduce peccati sentiret, fraudulenter et insidiose responderit? Respondit enim « Se diversa ab eis audivisse, qui utique in Ecclesia catholica constituti » sunt presbyteri. » Et cum Paulinus ad horum nomina recitanda Caelestium compelleret, unum Rufini nomen protulit. Insuper ab eodem Paulino provocatus ut caeteros nominatim proferret, haesit ancipiti mente, nec, quod diceret, in promptu habuit, hac una responsione contentus: « Non tibi » sufficit unus sacerdos? » Profecto in hac tota sermocinatione plures captiosaeque ambages se produnt; neque vero quempiam latet, haereticos homines perpetuo solitos confictis fraudibus quaestiones eludere, et veritatem mendaciis vel impudentissimis inobscurare. — Utcumque res est; satis, credo, se Rufinus tuetur suis ipse lucubrationibus, praecipue autem luculentissimis verbis: » Igitur consumatam passionibus carnem hu-» nam, quae in mortem caeciderat per Protopla-» sti lapsum, resurrectionis virtutem reparatam, » in dextera Dei sedens in altissimis collocavit, » ut et Apostolus dicit, *Qui simul excitavit nos,* » *sedere fecit in caelestibus* (1); » et rursus: « Sed qui imitantes Apostolum quaerebant, non » quod sibi utile esset, sed quod pluribus, vel qui

(1) Eph. II. 6. — Comment. in Symb. Aquil n. 27.

» imitarentur Christum, qui cum esset omnium » vita, pro salute cunctorum humiliatus se descen» dit in mortem, quo scilicet inveniretur et in » mortuis vita; dicebant etc. (1): » tum etiam his: « Igitur Apostolus Paulus dicit: *Nunc autem » Christus resurrexit a mortuis, initium dor» mientum: quoniam quidem per hominem mors, » et per hominem resurrectio mortuorum. Si» cut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in » Christo omnes vivificabuntur* (2) » Qui locus Apostoli jam pridem vulgo afferri solitus fuerat a Theologis, quoties in omne genus hominum primam illam parentum luem divino judicio transmitti propagarique edocebant; ut propterea ne unum quidem verbum oporteat adjicere ad rectissimam Rufini fidem comprobandam, quae expressa fuit atque adeo lucet in Opere praeclarissimo, cui Gennadii testimonium ita suffragatur: « Proprio labore, immo gratiae Dei dono, expo» suit idem Rufinus Symbolum, ut in ejus com» paratione, alii nec exposuisse credantur (3). »

Sed ad reliquas etiam criminationes facilius diluendas veniamus. Triennio itaque ab hujusmodi incusatione jam elapso, quinquennio videlicet, ex quo Rufinus mortalem vitae conditionem cum immortali beatissimaque permutaverat, Do-

(1) Hist. Eccl. lib. I. cap. 28.
(2) I. Cor. XV. 20. — Comment. in Symb. Aquil. n. 41.
(3) De Script. Eccl. Cap. XVII.

ctor ille maximus insectari defuncti nomen caepit, quasique proscindere, quod Pelagianos antecesserit, qui tradebant, fieri utique posse, ut aliquis mortalium, etiam in hac tanta infirmitate naturae constitutus, si velit, nulla criminis labe unquam se polluat, quod a Graecis ἀναμαρτεσία dicitur; ubi autem ad summum perfectionis fastigium se extulerit, fieri pariter posse, ut ne humani quidem aliquid perpetiatur, quod graeco vocabulo ἀπαθέια nuncupatur. Ita enim ille ad Ctesiphontem anno 415: » Pudeat ergo eos prin-
» cipum et sociorum suorum, qui ajunt: Posse
» hominem sine peccato esse, si velit: quod Grae-
» ci dicunt ἀναμαρτέτον. Et quia hoc Ecclesiarum
» per Orientem aures ferre non possunt, simu-
» lant se sine peccato quidem dicere, sed ἀναμαρ-
» τέτον dicere non audere: quasi aliud sit sine
» peccato, aliud ἀναμαρτέτον: et non graecum
» sermonem, qui apud illos compositus est, duo-
» bus verbis sermo latinus expresserit. Si absque
» peccato dicis, et ἀναμαρτέτον dicere te difiteris
» (o Ctesiphonte): damna eos ergo qui ἀναμαρ-
» τέτον praedicant.... Sed et Evagrius Ponticus
» Hyperborita, qui scribit ad Virgines, scribit ad
» Monachos, scribit ad eam, cujus nomen nigre-
» dinis testatur perfidiae tenebras, ediditque li-
» brum et sententias περὶ ἀπαθείας, quam nos im-
» passibilitatem, vel imperturbationem possumus
» dicere, quando numquam animus ullo pertur-

228

» bationis vitio commovetur, et, ut simpliciter » dicam, vel saxum, vel Deus est. Hujus libros » per Orientem, Graecos, et, interpretante disci- » pulo ejus Rufino, Latinos plerique in Occiden- » te lectitant.... Verum et etiam librum Xysti Py- » thagorei hominis absque Christo, atque Ethni- » ci, immutato nomine Xysti martyris, et Ro- » manae Ecclesiae Episcopi, praenotavit, in quo » juxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exe- » quant Deo, et de ejus esse dicunt substantia, » multa de perfectione dicuntur.... Vis adhuc et » alium nosse tui erroris principem (o Ctesiphon- » te)? Doctrina tua Origenis ramusculus est (1). » Quibus videlicet verbis innixi, integram Rufini fidem ut suspiciosam facerent atque adeo proruerent ejusdem adversarii, vehementissime contenderunt. Antequam tamen rursus in arenam nos pro injuria Rufini vindicanda descendamus, percommode facturi arbitramur, si et aliam eidem illatam criminationem aequo animo perpendamus. Adscribitur enim Presbytero Aquilejensi etiam criminem de Xysti Pythagorei sententiis sub Xysti Episcopi et Martyris nomine vulgatis.

Dicere omitto de patria et aetate hujus Xysti, seu Sextii, (nam Xystus et Sextius etiam indiscriminatim nominatur); longum enim esset et salebrosum id inquirere. Porro Xystus ante mo-

(1) Vid. et Comment. in Hierem. Proph.

ralis Senecae aetatem sententias suas publici juris fecit, ut auctoritate evincitur ipsius Romani Philosophi, qui de eo scriptum reliquit in hunc modum: « Cum legeris Sextium dices, vivit, viget, li- » ber iste supra hominem est, dimittit me ple- » num ingentis fiduciae: nam hoc Sextius habet, » quod est beatae tibi vitae ostendet magnitudi- » nem, et desperationem ejus non faciet (1). » Jam vero asseveranter affirmo, perperam de hac re ab Hieronymo Rufinum accusatum fuisse, quandoquidem ille Xystum nusquam Episcopum, neque Martyrem praedicavit, sed dumtaxat innuit percrebuisse vulgo opinionem apud quosdam, Auctorem earum sententiarum fuisse Episcopum et martyrem. En ejus verba: « Aperto et satis plano » sermone Sixtum in latinun verti: quem Sixtum » ipsum esse tradunt, qui apud vos idem in urbe » Romana Sixtus vocatur, Episcopi et Martyris » gloria decoratus (2). » Quem Xystum Christi Jesus notitia jam fuisse aliqua imbutum, etsi Rufinus haud proprio ore pronunciaverit, alii tamen, neque pauci numero, contenderunt adversus Hieronymum, pluribus praecipue ejusdem Xysti sententiis freti, quae Christianam doctrinam sanctitatemque prae se ferunt(3). Quin etiam egregius cete-

(1) Epist. LXIV.

(2) Praef. ad vers. Xixti int. Opp. PP. Aquil. V. VIII.

(3) Laquien. in Sacris Parallel. Opp. Tom. XXI. pag. 326., et Fontan. Hist. Lit. Aquil. lib. V. cap. 8.

roquin et sapientissimus Ecclesiae Doctor, prius quam palam Rufino adversari caeperit, sententiarum nobilium ejusdem Xysti extitit laudator praesertim autem in eò libro, quem contra Jovinianum conscripsit. An non ipse Origenes (1) jam antea nonnullas ejusdem sententias Christiano prorsus homine dignas excerpserat? Non idem fecerunt et Divus Maximus Taurinensis (2), a quo etiam *Ecclesiasticus Philosophus* Xystus nuncupatur? Praeterquam quod et a Divo Joanne Damasceno (3) in sua scripta non paucas hujus Philosophi sententias translatas scimus. Quid si etiam lumen Africae splendidissimum Augustinus in eumdem errorem incidit, cujus Rufinus a Hieronymo insimulatur? scribit enim: « Quis Christianus ignorat » quod beatissimum Xystum Romanae Ecclesiae » Episcopum, et Domini Martyrem commemorat » (Pelagius), *quia libertatem arbitrii sui permi-* » *sit hominibus Deus, ut pure sine peccato viven-* » *tes, similes fiant Deo* (4)? » a qua tamen sententia recessisse nos admonet per haec verba: « In li- » bro *De natura et gratia* contra Pelagium verba » quaedam, quae velut Xysti Romani Episcopi et » Martyris, Pelagius posuit, ita defendi tamquam » revera ejusdem Xysti essent: sed postea legi Xysti

(1) Lib. VIII. contra Cels. et lib. XV. Comment. in Matth.
(2) In Schol. ad Dionys. et in Sermonibus passim.
(3) Opp. Tom. II. pag. 411. 420. 640. 656.
(4) Lib. de Nat. et Grat. cap. LXIV. §. 77. et alibi.

» Philosophi esse, non Xysti Christiani (1).» Quod autem magis mirandum, ut animadvertit Fontaninius (2), hoc est, opinor, quod scilicet in eumdem errorem vel post Augustini declarationem potuerit incidere Auctor quoque libri *De duodecim Scriptoribus Ecclesiasticis*, qui divo Isidoro tribuitur vel Idelphonso; nam ait: «Xystus Episcopus Ro-
» manae urbis et Martyr, composuit ad instar Salo-
» monis librum Proverbiorum tam brevi eloquio, ut
» in singulis versiculis singulae explicentur senten-
» tiae; cui quidem fidem inseruerunt, quo facilius
» sub nomine tanti Martyris perversorum dogma-
» tum reciperetur assertio. Sed is, qui catholicum
» se esse meminit, non recipiat. Quidam autem
» (Gelasius in decreto Concilii Romani LXX. Epi-
» scoporum) putant, eumdem librum ab haereti-
» cis, non a Xysto, fuisse dictatum. Refellit autem
» hanc opinionem beatissimus Augustinus, qui in
» quodam Opere suo ab eodem martyre hoc Opus
» compositum esse fatetur.» Adeo nimirum pervulgata opinio, auctorem ejusdem libri Xystum Romanum esse! Nobis autem haud in animo est Gelasii Pontificis summi decretum evolvere. Illud unum dicimus, nihil gravius iis, quae in medium attulimus, proferri posse ad Rufini causam tuendam; vel si communi errore ductus Xysti Pythagorei sententias Xysto Romanae Ecclesiae Epi-

(1) Lib. II. Retract. cap. XLII.
(2) Hist. Lit. Aquil. lib. V. cap. 8.

scopo et Martyri adscripsisset. Neque miror Divum Hieronymum Rufino infensum adeo fuisse, quandoquidem, vir caeteroquin eximiae sanctitatis fama conspicuus, acri quo ferebatur ingenio quodammodo abreptus, nihil unquam sibi effugere patiebatur, unde aemulis suis invidiam crearet, neque ullam, cum Fontaninio (1) arbitror, in Ecclesiam videbat haeresim obrepere, quam non aliquando aut Origeni, aut eorum alicui, qui ab Origene stetissent, tribuendam non putaverit.

Quare, ut aliam de ἀναμαρτησία et ἀπαθεία Rufino itidem nostro criminationem a Hieronymo indictam attingamus, sane patet quo ex fonte prodierit hujusmodi accusatio. Videlicet qui Rufinum Adamantii dogmatibus imbutum ideo contendebant, quod ea interpretando notiora Latinis fecerat, iidem ipsi similiter Rufinum criminati sunt, quasi vero systema de ἀναμαρτησία et ἀπαθεία disseminasset ac propugnasset, eo quod Evagrii Pontici, et Xysti Pithagorei libros hujusmodi opinionum non plane expertes latinitate donaverit. Quae tamen accusatio quam exigui sit momenti ac ponderis, nemo profecto est, qui non intelligat; quandoquidem non una eademque res habenda est alicujus scripta interpretari, ac eorumdem Scriptorum doctrinas amplecti: de quo altero in Rufinianis Operibus universis ne suspicio

(1) Hist. Lit. Aquil. lib. IV. cap. 18. « Nulla damnatur haeresis, » quam Hieronymus aliquando Origeni non objicerit etc. »

quidem inest; ut idcirco nunquam a Divo Hieronymo dies ipsi dictus fuerit. Jam vero non pauci etiam ex antiquissimis illis Ecclesiae Patribus, virisque probatissimis extiterunt, qui cum Xysto Pythagoreo optime senserint, et qui etiam Evagrium Ponticum sua ipsi auctoritate sustinuerint, cum nimirum vocem ἀπαθεία, antequam Pelagiana haeresis grassaretur, adhibuissent integra fide et sensu; cujusmodi sunt gemini Scriptores vitae Sancti Pacomii (1), et Sancti Porphyrii Gazensis (2), Divus praeterea Basilius Magnus(3), atque, ut alios plures omittam, Elias etiam Cretensis, cujus mihi verbis uti placet: « Ego enim » apathiam, sive tranquillitatem animi, nihil aliud » esse existimo, quam *mentis in corde caelum*, » quod omnes improbas daemonum artes dein- » ceps pro ludo et ludibrio habet et contemnit (4). » Nimirum tum primum dumtaxat, quando Pelagiana haeresis innotescere atque invehi latius caepit, graeca illa vox male audiit. Credendum ne igitur recte vocem illam adhibitam fuisse ab Evagrio, qui Pelagianorum errorum aetatem praecesserat, et a Rufino, supremo cui prius fato quiescere obtigit, quam Pelagii et Caelestii rumor crebesceret? Quamquam Rufinum ab omni suspicione liberat

(1) Apud Surium die XIV. Maij.
(2) Apud Bolland. die XXVI. Feb.
(3) Praef. in Regul. Fusior.
(4) In Schol. ad grad. XXX. Schal Clim.

234

Doctor eximius Augustinus, qui licet Pelagianam haeresim omni studio insectatus sit, atque adeo proculcaverit, de Rufino tamen ubique praeclare(1); quod profecto non fuisset, si, ut Hieronymo placet, ab Aquilejensi presbytero luem illam teterrimam primo latam et propagatam cognovisset. Rufinum praeterea nostrum absolvunt omnino, atque etiam commendant ipsa ejusdem Scripta, ex quibus tantum abest ut quidquam Pelagianis erroribus simile erui possit, ut etiam se prodat atque explendescat integra ejus mens, et incorrupta religio. Quid enim evidentius aut illustrius verbis illis ad Hieronymum? « Potest ita responderi, quod absque peccato nullus sit, et sydera » ipsa non sint munda coram Deo (2), omnisque » creatura paveat Creatoris adventum (3). » Quid illis, clarius, quae in eadem Apologia habentur? « Nam errasse novum non est, et, ut opinor, venia » dignum est, quia et Scriptura dicit: *In multis » enim offendimus omnes, qui autem in verbo » non offendit, hic perfectus est vir* (4). » Quid demum illis praestantius quae in Benedictionum XII. Patriarcharum libro primo leguntur? « Omnes » animae nostrae motus, qui ferocius in nobis

(1) V. Lib. de Cura gerend. pro mort. cap. VI., et lib. de Haeres. cap. LXXXIII.

(2) Job. XV. 15.

(3) Apolog. I. n. 40.

(4) Jacob. III. 2. — Apolog. I. n. 19.

» moventur secundum primam aetatem, et quasi » gentiliter agunt; his omnibus emendationis spes » est et expectatio, si sensus, qui est princeps et dux » hominis, Christum confessus, et ab eo illumina- » tus actuum suorum gubernacula moderetur. »

Reliquum est ut postremam, quam diximus, criminationem evertere connitamur, quae tota in eo sita est, quod Gelasius Pontifex Maximus de Rufino scribere non dubitarit, eum de libero arbitrio non recte sentire. Ipsa profero ejusdem verba: « Rufinus vir religiosus plurimos ecclesia- » stici operis edidit libros, nonnullas etiam Scri- » pturas interpretatus est: sed quoniam beatus » Hieronymus in aliquibus eum de libertate ar- » bitrii notavit, illa sentimus quae praedictum Hie- » ronymum sentire cognoscimus (1). » At vero perperam inde conjicitur, Rufinum Pelagianas partes secutum fuisse. Nam quamdiu hac luce utrique frui licuit, nulla sane Hieronymum inter ac Rufinum de arbitrii libertate quaestio fuit, nulla discrepantia judicii; et ne verbum quidem super hac re in Operibus Hieronymi universis; ut propterea nihil prorsus aliud eliciendum supersit, nisi hoc, Gelasium nimirum in loco nuper allato quaestiones solummodo innuere voluisse, quae inter Hieronymum fuerunt et Rufinum de illis verbis ἀναμαρτησίαν et ἀπαθεῖν, de quibus supra disputa-

(1) In Concil. Roman. LXX. Episcop. ann. 494.

tum a nobis est. Cum igitur jam perspectum sit sic a Hieronymo male haberi insimularique Rufinum ob id solum, quod Evagrii et Xysti libros latine reddiderit, non amplius indiget defensione Rufini causa. Verum quidem est in veteri Xystianarum sententiarum editione (1), quae et plurimi fieri solet, quaedam hujusmodi inesse: « Libertatem arbitrii sui permisit hominibus Deus, ut » pure et sine peccato viventes, Deo similes fiant. » At Rufinus Xysti sententias latinas quidem fecit, nunquam vero sua voluit auctoritate sancitas, aut ex omni parte laudavit. Quin etiam eamdem illam de arbitrii libertate sententiam in bonam partem ipse Augustinus accepit, explicavitque in hunc modum: « Sed ad ipsum arbitrium pertinet » vocantem audire et credere, et ab eo, in quem » credit, non peccandi adjutorium postulare. Nam » utique cum dicit: similes fiant Deo, per charitatem Dei futuri sunt similes Deo: quae diffusa » est in cordibus nostris non naturae possibilitate nec libero arbitrio, quod est in nobis, sed per » Spiritum Sanctum, qui datus est nobis (2). » Quomodocumque se res habeat; satis profecto firmiter integreque Rufinus suam mentem declarat, neque nos dubios relinquit, utrum nec ne meliorem partem amplexus sit. Haec enim sunt ejus sensa de libero arbitrio: « Non ergo factum, quia

(1) Lugdun. 1507. apud Janot de Campis.
(2) Lib. de Nat. et Grat. cap. LXIV. §. 77.

» interdum et recte fit, sed animus male consulens » damnat. Si ergo animus in me, qui criminosus est » effectus, et in quo fuit origo vitii, corrigitur, cur » tibi videor non posse innocens effici, qui prius fue» ram criminosus? si enim, ut supra ostendi, con» stat, quod mala voluntas, auctore malo daemone, » peccato me et morti fecit obnoxium: ita in bo» num voluntas mutata, auctore bono Deo, inno» centiae me reddidit et vitae (1). » De divinae autem gratiae ad aeternae beatitatis jura assequenda necessitate ita scribit: « Alia vero est jactantiae » species, cum quis ad summam virtutem perve» niens, non totum Deo, sed suis laboribus ac stu» diis deputat: et dum ab hominibus gloriam quae» rit, perdit eam quae a Deo est (2). » Et de quodam Monacho memorans, qui deserta sylvarum aedium splendidissimarum magnificentiae praeponere non timuit, seque, et sua omnia Religioni vovere, sic loquitur: « Ipse vero in tantum » virtutibus animi profecit, et ita ornatus mori» bus effectus est, ac totius divinae gratiae reple» tus virtute, ut omnis haec regio quasi e caelo eum » lapsum videret, et unum esse ex numero crede» ret Angelorum, omnes pene simul atque uno » ore dicentes: *Haec est mutatio dexterae Ex» celsi* (3). »

(1) Comment. in Symb. Aquil. n. 38.
(2) Hist. Monach. seu Vitae Patr. cap. I.
(3) Psalm. CXVI. — Hist. Monach. cap. I.

Quamquam documenta a nobis allata tam gravia sint et illustria; celeberrimus tamen Dupinius (1) nihil se a sua sententia removit, tot argumentorum auctoritate ac vi pro nihilo habita, ut Pelagianorum principem, quod semel suspicatus fuerat, Rufinum fuisse ostenderet. Palinodiam enim aliam, quam a perveteri codice Corbejensi Pater Syrmondius excerptam publici juris fecerat, deinceps et Garnerius typis iterum consignaverat, Rufino Dupinius, at perperam, adscripsit, adjudicavitque. Nam extrema ejusdem codicis verba, quae sunt hujusmodi, « Explicit Rufini Pre» sbyteri Provinciae Paelestinae liber de fide trans» latus de graeco in latinum sermonem, » in primis evincunt Palinodiam hanc ad Aquilejensem Rufinum neutiquam pertinere. Quamobrem etsi hujus in fronte codicis inscriptum fuerit aliena manu Pelagii nomen; jure tamen optimo doctissimus Pater Syrmondius titulum alterum substituit: « Rufini Provinciae Paelestinae liber de fide, » omisso Pelagii nomine, praesertim quod hujusmodi Palinodiae exordio primum hoc Pelagii dogma funditus subruitur: » Adam sive peccasset, » sive non peccasset mortem obiturum. » Sed dubitationem omnem tollunt convicia plurima, quibus Origenes perpetuo excipitur ac lacessitur. Qua enim fronte, aut qua porro de causa Ada-

(1) Tom. IV. Bibliot. Patr.

mantii sui nomen Rufinus proscindere, et sibi ipsi turpiter adversatus eumdem illum, quem toties admiratus fuit, despicatui habere potuisset? Postremo cum Garnerius (1) pro suopte ingenio animadverteret qua Arii, qua Apollinaris, qua Fotini etiam errores passim explodi dirisque excipi, ne leviter quidem tangi, quae de divina gratia Nestorius, Eutichetes, Pelagius commenti sunt, non injuria hinc statuendum censuit, eam Palinodiam ante conscriptam fuisse, quam Pelagio publicae damnationis nota inusta esset, videlicet per id tempus, quando Origenis causa non sine odio atque ira utrinque agitabatur; quam Garnerii opinionem venenata quoque tela confirmant, quibus Origenes perpetuo confoditur quasique cruentatur. Quocirca cum ea Palinodia omnino congruat cum eorum temporum conditione ac natura, per quae videlicet de primi Parentis mortalitate, de puerorum baptismate, de originali peccato, et similibus aliis acerrimae disputationes, quibus passim redundat, agebantur, juvat sane cum Syrmondio et Garnerio, et cum nobilissima Mercatoris auctoritate statuere, Auctorem ejus Palinodiae non alium fuisse quam Rufinum illum Syrum seu Palaestinum, Hieronymi familiarem, qui traducem peccati negavit. Neque profecto aliter censeri debet, ait Garnerius: « Conveniunt enim

(1) Dissert. I. de Haeres. Pelag. inter Opp. August. Tom XII.

» nomen, patria, dignitas, doctrina, aetas. Uterque » Rufinus (idest tam superius memoratae quam » hujusce Palinodiae), uterque Syrus seu Palae- » stinus, uterque presbyter, uterque oppugnator » peccati originalis, uterque vixit ante Pelagianam » haeresim, uterque Romam sub Anastasio adve- » nit, uterque infensus Origeni, uterque de ani- » marum in corporibus creatione affirmative pro- » nunciavit, cum dubitarent ea de re adhuc viri » doctissimi, aut saltem timidius sentirent (1). » Quibus Garnerii rationibus suam quoque vim, neque minimam addit Pelagiani dogmatis fautor acerrimus, Julianus inquam, qui hujuscae Palinodiae verba saepe transcribit, cujusque sententiis ad Pelagii oppugnandam doctrinam ne ipse quidem Augustinus uti veretur (2), cujus Opera literis *Merovingicis* ob vetustatem prope fugientibus, exscriptor ipse supramemorati codicis Corbejensis admonet et hortatur, ut, Palinodiae loco, prae manibus habeantur: « Hic liber, qui attitulatur » Rufini, non te seducat, o pie lector, quia Pela- » gianus est, et Blasphemiis Pelagianorum plenus » (et nobis sic placet emendavisse, *quia Orige- » nianus, et Blasphemiis Origenistarum plenus*). » Unde hortor charitatem tuam, ut hunc Blasphe- » mum de vestro codice abscindatis; et pro eo li- » brum Sancti Augustini de vera religone descri-

(1) Dissert. cit. loc. cit.
(2) Lib. XXXVIII. de Trinit., et lib. de Fide cap. LXIII.

» bite ut quantitatem reparetis. » Qua quidem hortatione libentissimo animo nostrae huic pro Rufino disputationi tamquam fastigium imponimus.

Ac ne quidquam fortasse auctoritatis a me detractum Hieronymo videatur, quem nihilominus cum catholica Ecclesia me plurimi semper facturum, ac tum doctrinae, tum etiam sanctitatis splendidissimum quasi sidus habiturum profiteor, cum Fontaninio rem jam totam integre fideliterque concludam: « Hic fuit Rufini Presbyteri exitus, viri in
» Ecclesia Latina Sacrae Historiae Parentis: quem
» Orientales par aeque ac nostri ob doctrinam
» et religionem plurimi semper fecerunt, ut per
» totam hanc historiam patefactum. Plerique
» omnes, literarum et pietatis laude in communio-
» ne catholica spectatissimi, hi praesertim qui Epi-
» scopali fastigio insignes in Ecclesia fulserunt,
» superstitem in sinu fovere et colere, ejusdemque
» partes tutari eo ipso tempore visi sunt, quo is
» a Hieronymo dissidens, cum haereticis nume-
» rabatur, ab illo uno scilicet, ab aliis non certe.
» Qui sanctus Pater licet maximus undequaque,
» apud illos tamen in hac controversia efficere
» haudquaquam potuit, ut Rufinum, omnibus
» prope notum, usque ad ultimum vitae finem per-
» carum habentes, in Hieronymi partes transire
» voluerint, viri alias haereticorum acerrimi ho-
» stes, Rufinoque, si ex illis fuisset, nullo pacto
» adhaesuri. Immo et beatum ac sanctum ho-

» noris causa dictum ostendimus. Praeter Hie-
» ronymum, illique studentes unum et alterum,
» nemo unquam ea aetate Rufinum in haereseos
» suspicionem traxit, nemo Episcoporum a sua
» communione disjunxit.... (1). Quare sicut Hie-
» ronymi partes perpauci secuti sunt, ubi, a
» Theophilo Alexandrino deceptus, Chrysosto-
» mum, virum sanctissimum, pro haeretico su-
» gillavit; ita perpaucis suadere potuit, Rufinum
» haereseos nota inurendum. Norisius Cardinalis
» in Historia Pelagiana (2), Origenistarum opera
» factum ait, ut sanctissimi viri mutuis dissensio-
» nibus conflictarentur. Hinc ex Hieronymiana
» ad Theophilum Epistola haec verba in Chryso-
» stomum, e throno Constantinopolitano dejectum
» et mortuum, adducit: *Joannem, qui dudum*
» *Constantinopolitanam rexit Ecclesiam, Deo*
» *placere semper optavimus, et caussas per-*
» *ditionis ejus, in quas ferebatur, nequaquam*
» *credere voluimus. Sed ille, ut caetera flagitia*
» *ejus taceam, Origenistas in suam recipiens*
» *familiam, ex his plurimos ad sacerdotium*
» *provehens, atque ob hoc scelus beatae me-*
» *moriae hominem Dei Epiphanium, qui inter*
» *Episcopos clarum in orbe sidus effulsit, non*
» *parvo moerore contristatus, meruit audire:*
» *Cecidit, cecidit Babylon.* His paria et longe

(1) Vide eorum nomina pag. 2.
(2) Lib. I. cap. 2.

» majora adversus Chrysostomum lecta in libro » Theophili Alexandrini, quem Hieronymus latinum fecit, testatur Facundus Hermianensis in » *Defensione trium capitulorum* (1). Recte Facundus in rem quoque nostram ibidem haec » scribit, digna certe ut omnium animis infigantur: *Nos autem in illo libro non qualis » Joannes, qui nihil horum merebatur, nec » qualis Theophilus, cujus virtus in multis » probata, sed potius qualis sit miserabilis humana vita, cognoscimus, de qua scriptum est, » quia tentatio est super terram. Nam si talia » talibus acciderunt, quid nobis metuendum » non sit, nostrique similibus?* Sed nemo nescit » qua acerbitate non solum Hieronymus, sed et » Cyrillus Alexandrinus Epistola ad Atticum in » Chrysostomum saevierint. Hanc pro iis apologiam donat Nicephorus Callistus in Historia Ecclesiastica (2), quam profert etiam Baronius (3), » *Homines enim erant, et humanis passionibus » obnoxii.* Alia his similia vide et apud Norisium » *Dissertatione tertia de uno in Trinitate passo.* Fuit Hieronymus doctrina, poenitentia et » sanctitate vere maximus, summeque orthodoxus, » qui vel leves et minimas suspicionum umbras in » Religionis negotio ferre non posset. Itaque haud

(1) Lib. VI. cap. 5.
(2) Lib. XIV. cap. 18.
(3) Ad ann. 412. §. LXI.

» mirum, si zelo ductus, et absens, eas umbras
» interdum ex aliorum relatu, in viris etiam sanae
» fidei auctas insectatus est. At in hujusmodi re-
» bus non unius, licet summae auctoritatis viri,
» testimonium toti reliquae Ecclesiae consensui
» praeponendum. Haec ipsa magni nominis et do-
» ctrinae virum Norisium permoverunt, ut haec
» de Rufino literis consignaret (1): *Caeterum Ru-*
» *finus non fuit haereticus, licet Hieronymus*
» *eumdem haereticis adnumeret: neque enim*
» *sanctus Paulinus tam religiosus cum eodem*
» *amicitiam coluisset, neque Pinianus et Me-*
» *lania, illum una secum in Siciliam adduxis-*
» *sent: neque in suburbano Pineti monasterio*
» *degere potuisset, si palam haeresi infectus*
» *fuisset.* Norisius Rufinum errorum suspiciones,
» quibus apud Anastasium laboravit, coram In-
» nocentio Pontifice ab se procul excussisse ar-
» bitratur, libello scilicet, quem idem vir purpu-
» ratus vulgavit. Sed hunc ad nostrum non per-
» tinere, necessariis argumentis ostensum est. Ru-
» finus vero suspiciones quascumque Apologia
» sua ad Anastasium, et Commentario in Sym-
» bolum satis superque ab se procul excussit; cui
» quidem Commentario Hieronymus nihil un-
» quam opposuit. Ante Norisium Joannes Bol-
» landus (2) agens de sancto Macario, Rufini

(1) Hist. Pelag. lib. I. cap. 4.
(2) Tom. I. die II. Jan.

» amico, pariter scripserat, Presbyterum no-
» strum errores Origenis, quibus aeque ac Maca-
» rius fuerat imbutus, deinde ejuravisse, idque
» se, ubi de Rufino scriberet, suo loco dicturum.
» De Rufino ergo, ut Sancto alicubi, se scriptu-
» rum proposuerat Bollandus. At Rufinus certe,
» et Macarius errores, quos nunquam imbibe-
» rant, ejurare non potuerunt (1). »

(1) Hist. Lit. Aquil. lib. V. cap. ult.

THESES

2.48

EX HISTORIA ECCLESIASTICA

I.

Sicuti apud Graecos Eusebius Caesariensis, sic apud Latinos Rufinus, Aquilejae Presbyter, Historiae Ecclesiasticae Pater habendus est, cum ob versos in latinam linguam Eusebianos libros, tum ob nonnullos additos, proprio marte confectos.

II.

Merito ergo semper magni habitus penes Occidentalem Ecclesiam, et strenue vindicatus fuit a clarissimis viris contra oppugnatores versionis suae, in qua multa nimium fuse dicta coarctat, plura in melius vertit, et nonnulla etiam necessaria de suo addit: ratio interpretandi certe non spernenda.

III.

In *Historia Monachorum*, seu in libro *De Vitis Patrum in Deserto*, non Petronii Bononiensis itinera, uti usque adhuc creditum est, sed sua narrat Rufinus; nec Opus istud ex *Paradiso* Heraclidis, seu Palladii Helenopolitani excerptum, sed Rufini proprium, idemque vulgatum, antequam Heraclidis, seu Palladii, Historia in lucem prodiret.

IV.

Sermo de Symbolo ad Competentes CCLXII. editus in Appendice Augustiniana T. V. pag. 397. ed. Paris., non Augustini Hipponensis, sed Augustini Archiepiscopi Aquilejensis, est; huic porro Augustino oblatus fuit *Libellus fidei Pelagianorum*, pariter editus in citata Appendice T. XII. pag. 220., non vero Augustino alteri, vel Zosimo Romano Pontifici, ut a plurimis magni nominis viris putatum est.

V.

Sermones CVII., et CXXXVIII., qui leguntur inter Opera Divi Petri Chrysologi (ed. Venet. an. 1742.), sunt Adelphi Archiepiscopi nostri Aquilejensis: pariter sermo LXXXIX. relatus inter Opera Divi Maximi Taurinensis (edit. Roman. 1784.), pertinet ad Maximum I. Aquilejensem Archiepiscopum: postremo *Libellus ad Virginem Lapsam*, insertus Operibus Divi Ambrosii, Hieronymi et Augustini, Nicetam nostrum Aquilejensem Archiepiscopum cognoscit Auctorem.

VI.

Asceteria Monachorum primum in Italia Aquilejae constituta sunt a magno Athanasio, qui dum

de Arianorum effugiebat insidiis, Aquilejae a Fortunatiano Archiepiscopo perhumaniter receptus fuit: hinc sequenti saeculo jam celebre Monasterium Aquilejense Hieronymi, Rufini, Heliodori, Chrysogoni, Florentii, Bonosi, aliorumque complurium hujusce nominis virorum consuetudine et studiis.

VII.

Aquilejensis Patriarcha primus in Italia post Romanum Pontificem, primusque post eum in Concilio sedebat, loquebaturque, ut Maximus II. in Concilio Lateranensi an. 946., et Marcus in Concilio Florentino an. 1438. etc.

VIII.

Concilium Provinciale Altinense nunquam extitit; hinc Epistola Paulini Patriarchae Aquilejensis ad Carolum Magnum *De gestis in Synodo Altinensi*, referenda est ad Concilium Forojuliense an. 796.; et ex Lectionibus secundi Nocturni Libelli Dioecesani Utinensis ad diem IX. Februarii expungenda est vox *Altini.*

IX.

Praedictus Paulinus Aquilejensis Patriarcha non Galiani vel Forojulii, sed Praedio Marii, vulgo

Premariaco (in quo gens mea fixas habet sedes) ortus est; ex quo loco originem traxere et Gerardus, alter Aquilejensis Patriarcha, ab Sede sua dejectus a Romano Pontifice Honorio II. non ob foeditatem ullam, uti nonnulli putarunt, sed ob partes Henrici V. Imperatoris et Conradi III. Regis susceptas; nec non Fiorius (*Fiore*) *ex Dominis Liberis* pagi Premariacensis, qui vulgari eloquio primus scripsit in Italia *De gladiatura*, in qua clarus extitit magister heroum *Tabulae Rotundae*, et superest etiamnum perhonorificum Privilegium Henrici V. Imperatoris ad *Christallum* unum ex majoribus suis.

X.

Quae narrat Leo Marsicanus, et post eum Anonymus Salernitanus de Pauli Diaconi Aquilejensis conjuratione contra Carolum Magnum, ejusque exilio in insula Diomedis sinus Adriatici maris, inter fabellas amandanda sunt: semper enim Paulus non minus Desiderio, ultimo gentis suae Rege, quam Carolo Magno valde addictus fuit, cum eoque proinde perpetua benevolentia conjunctus.

EX ARCHAEOLOGIA BIBLICA

I.

Sacrorum Bibliorum interpreti omnino Antiquitatum Judaicarum cognitio necessaria est, quam optime acquisivit Rufinus, praesertim lustratione sua Orientalium Regionum.

II.

Cum non minus necessaria sit Sacrarum Literarum interpreti Geographiae Sanctae cognitio, hanc etiam Rufinus sibi magno studio comparavit, atque in explanatione sua *Benedictionum XII. Patriarcharum*, quantum hac in re valeret, certos nos facit, dum singulis tribus Israel adcurate designat partem sortitam in Terrae Promissae partitione.

III.

Historia quoque Naturalis valde necessaria interpreti ad omnimodam Sacrorum Bibliorum intelligentiam comparandam. Quot vero, quamque mira hac etiam in re se propriis oculis conspexisse narrat Rufinus in libro *De vitis Patrum in Deserto!*

IV.

Quae Tolandus ex Strabone et Tacito congerit adversus descriptionem Moysis ad probandum Palaestinam infoecundam fuisse etiam tempore antiquo, facile refelluntur ipsius quoque Rufini auctoritate, qui in citatis libris *De Benedictionibus XII. Patriarcharum* plura, testimonio antiquorum Hebraeorum nixus, narrat de mirabili foecunditate illius Regionis.

V.

Quae de constructione Arcae Noeticae refert Rufinus in libris nuper adductis, valde conferunt ad exsolvendas eorum difficultates qui negant, eam continere potuisse tot animalium numerum, quot Moyses in Geneseos libro narrat.

VI.

Asini penes Hebraeos antiquos magni habebantur, quod, praeter alia testimonia, vel demonstrari potest ex duobus versibus *in Benedictionibus XII. Patriarcharum;* idest ex versu 11. capitis XLIX.; ubi per *pullum* populus Judaicus, et per *asinam* Gentes in Christo crediturae Rufini opinione indicantur; et ex versu 14. ejusdem capitis, in quo Is-

sachar vocatus est *asinus fortis*: quae duo certe nonnisi in bonam partem sumi possunt; ut propterea perhonorificus fuerit triumphalis in Hierusalem Christi ingressus super pullum asinae.

VII.

Venatores non semper in malam partem, ut pluribus Ecclesiasticis Scriptoribus visum est, accipiuntur: sed nonnunquam etiam in bonam, ad indicandos nempe Apostolos animarum venatores; quod variis Scripturae locis Rufinus demonstrat in iisdem libris *De Benedictionibus XII. Patriarcharum.*

EX INTRODUCTIONE
In Sacros Libros Veteris Testamenti

I.

Rufinus Aquilejensis in Catalogo Librorum Sacrorum, dividens eos in Canonicos et Ecclesiasticos, secutus est, exemplo Patrum quorundam, Canonem Hebraeorum: Ecclesia tamen eadem Rufini aetate vel eos Libros, quos ipse connumerat inter Ecclesiasticos, inter Canonicos retulit, excepto libro *Pastoris*, sive *Hermas*, et libro qui inscribitur *Duae Viae*, seu *Judicium Petri.*

II.

Patres Aquilejenses fere semper in suis Operibus Scripturarum loca adducebant ex versione antiqua Italica; quae loca si citatis Patrum aliorum Italorum locis adderentur, versio illa, magna sane ex parte, restitueretur.

III.

Quidquid in libro II. Apologiae contra Hieronymum Rufinus statuat de origine Versionis Alexandrinae, quemadmodum narrat personatus Aristeas, (cum nobis amicus quidem Plato, magis

tamen amica veritas), historiam ejusmodi fabellam sapere judicamus.

IV.

Rufinus eodem in Opere injuria accusat Hieronymum abrasisse Hymnum trium puerorum e capite III. Danielis.

V.

Idem dicendum est, dum objicit Rufinus, sublatam esse ab Hieronymo Historiam quoque Susannae.

VI.

Nullam injuriam intulit Hieronymus Versioni LXX. Virorum, cum ipse in Latium transtulit Hebraica Volumina; ut immerito conqueratur hanc ob causam Rufinus.

VII.

Etiam ex Rufini interpretatione (in libro *De Benedictionibus Judae*) evincitur sequentia verba a Jacobo morti proximo prolata referri non posse nisi ad Jesum Filium Mariae, verum Messiam in lege et Prophetis promissum; et sunt:

לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו עַד כִּי־יָבֹא
שִׁילֹה וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים׃ (*Gen. XLIX.* 10).

EX HERMENEUTICA BIBLICA

I.

Optima Hermeneutices Sacrae regula illa Rufini: *Eadem diversis in locis, diversa tamen in facti specie prolata non eodem semper sensu accipi possunt; nonnunquam enim in bonam nonnunquam in malam partem pronunciata inveniuntur;* puta de venatoribus superius relatis (Prop. VII. Arch. Bibl.), de serpentibus, de tauris etc.; ita ipse *lib. II. De Benedictionibus XII. Patriarcharum.*

II.

Unus tamen semper est sensus in eodem loco Sacrae Scripturae, isque literalis seu grammaticus; quam propositionem pariter confirmant plurima Rufini loca desumpta ex citatis libris *De Benedictionibus XII. Patriarcharum.*

III.

Proindeque idem vocabulum non potest eodem tempore, et loco, et modo loquendi plura significare; contra quam regulam nil faciunt verba illa Hieronymi: *In verbis singulis Apocalypseos multiplices latent intelligentiae;* quem Hieronymum,

tum quod perpetua cum Aquilejensibus consuetudine usus fuit, tum quod ibidem studiorum curriculum confecit, cum bona pace illorum, qui de ejus patria adhuc certant, inter Aquilejae Patres adnumero.

IV.

Ex Scriptura tamen (stantibus semper duabus superioribus propositionibus) deduci possunt animadversiones accommodatae ad mores informandos, unde merito a Gennadio commendatur Rufinus, quia etiam tali pacto in citatis libris Benedictionem Jacobi prosecutus est.

V.

Minime tamen ex hac Rufini interpretandi ratione probari potest Emmanuelis Kantii Systema, quo contendit Scripturam totam non alio in sensu sumi posse ac debere quam morali.

VI.

Reprobandi vero sunt illi, qui secundum alia verba Hieronymi: *Ad sensum suum incongrue aptant Scripturae testimonia, quasi grande sit, et non vitiosum docendi genus, depravare sententias, et ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem.*

EX INTRODUCTIONE IN LIBROS

Novi Testamenti

I.

Loca ex libris Novi Foederis a Patribus frequenter desumpta optime probant nullam in eos libros quoad substantiam corruptionem irrepere potuisse; cui argumento vim maximam adjiciunt et permultae Patrum Aquilejensium sententiae ex Sacro Codice depromptae.

II.

Plurimae tamen variantes oriri potuerunt cum in Veteri tum in Novo Foedere ex inscientia, incuria ac temeritate eorum, qui Sacros Libros exscripserunt, quod jam extitisse tempore suo cognovit Rufinus, qui in illo Geneseos XLIX. 19. καὶ τῇ ἕλικι τὸν πῶλον τῆς ὄνυ ἀυτῦ, ubi Paulinus Nolanus verterat, *Et ad cilicium pullum asinae*, loco, *Et ad palmitem vitis pullum asinae*, « Arbitror, inquit, quod hic ipse graecus » sermo in latinis exemplaribus antiquitus positus » est, ut et alia nonnulla, et per tempus a scripto» ribus non intelligentibus pro ἕλικι, *cilicium* dici » putatum est. »

III.

Libri Novi Foederis omnes divinitus fuerunt inspirati; et consensus ceterorum Patrum hac in re roboratur etiam Rufini Aquilejensis testimonio relato in ipsius Commentario supra Symbolum Aquilejense.

IV.

Catalogus Librorum tum Veteris tum Novi Foederis a Rufino exhibitus magnae auctoritatis est, utpote ad fidem Concilii Nicaeni I. compositus a suo Auctore, qui primus penes Latinos ejusdem Concilii Historiam scriptis consignavit.

V.

Septem Epistolae Catholicae, a Rufino Aquilejensi adscriptae Canoni Sacrarum Scripturarum Novi Foederis, sunt revera originis Apostolicae, divinaeque auctoritatis.

VI.

Epistola pariter divi Pauli ad Hebraeos, a Rufino in citato Canone relata, opus ejusdem Apostoli haberi debet.

VII.

Vaticinium Isaiae ab Evangelista Matthaeo relatum, *Ecce Virgo concipiet* etc. vere respicit Messiam; optimeque explicatur hoc sensu ab Aquilejensi Rufino in citato suo Commentario supra Symbolum Aquilejense.

EX JURE ECCLESIASTICO

I.

Hierarchia Ordinis juris divini est, constatque Episcopis, Presbyteris et Ministris; frustra propterea causae suae patrocinium quaerit Blondellus, qui contra sentit, in Epistolis Sancti Pii I. Papae Aquilejensis.

II.

Chorepiscopi, iidem ac Episcopi Auxiliares secundi generis, per variarum dioecesium loca constituti, et, prioribus saltem quinque saeculis, in veri Episcopatus gradu positi fuere; quemadmodum Chromatius in Portu Romatino penes aestuarium Veneti sinus, antequam sedem Aquilejensem conscenderet.

III.

Ex constitutione Concilii Nicaeni I. (Can. VI. in Collect. Rufini) irrita est ordinatio Episcopi sine praesentia vel auctoritate Metropolitani: insuper voluit Nicaena Synodus ordinationi omnes adesse Provinciae Episcopos, vel, si hoc valde difficile, tres saltem interesse, quod semper reten-

tum in Aquilejensi et Mediolanensi Ecclesia, quarum Metropolitae antiquitus se invicem ordinabant praesentibus suffraganeis Episcopis.

IV.

Jus congregandi Concilium Provinciale competit Metropolitae, quod semper exercuit Aquilejensis Ecclesia, et in Provinciali suo I. an. 381., quia nempe in Ditione propria habitum fuit, Valerianus Archiepiscopus Aquilejensis nonnisi benevolentiae et honoris causa primum locum cessit Divo Ambrosio Antistiti Mediolanensi.

V.

Ecclesia potest bona acquirere, possidere et dominium temporale in ipsa exercere, uti a Paulini Patriarchae aetate usque ad extrema haec tempora habuit et retinuit Sancta Aquilejensis Ecclesia.

VI.

Matrimonium ratum et consummatum, morte dumtaxat alterius conjugis, dissolvi potest: quam ob rem recte Archiepiscopus Nicetas, motus Leonis Magni auctoritate, ad priores redire viros compulit mulieres Aquilejenses, quae, cum iidem in captivitatem ab Attila adducti fuere, cum aliis se conjunxerant.

VII.

Ætate Paulini Aquilejensis eadem disciplina quae nunc viget quoad sponsalia, investigationes impedimentorum, libertatem consensus, aetatem etc., sancita fuit in superius relato Concilio Forojuliensi an. 796.

EX THEOLOGIA DOGMATICA

TUM EX DIVINA REVELATIONE, TUM EX SS. PATRUM AQUILEJENSIUM EJUS EXPOSITIONE, INCONCUSSAE PROBANTUR SEQUENTES PROPOSITIONES:

I.

Unus est Deus in Trinitate Personarum.

II.

Mundum is condidit et omnia quae in ipso sunt ex nullis extantibus.

III.

Primus homo, rectus ab eo factus, delinquendo peccati sui maculam et poenas in omnes filios carnali generatione prognatos transfudit; unde necessitas divinae Redemptionis.

IV.

Verbum Dei est ὁμοούσιον, seu Patri consubstantiale.

V.

Ad redimendos vero homines humanam naturam in tempore assumpsit, tum vero solidoque corpore, tum anima rationali constantem: una tamen semper in ipso persona, eaque divina.

VI.

Sed duae in Christo voluntates, operationes duae, duaeque scientiae, divina scilicet et humana.

VII.

Morte sua verum sacrificium Deo Patri obtulit pro totius mundi salute, quo nobis Paradisi portas in aeternum reseravit.

VIII.

Quemadmodum ipse in carne propria resurrexit, ita omnes resurgent in novissimo die, rationem reddituri, prout quid boni vel mali gesserint.

IX.

Dein bonis felicitas sempiterna, malis sempiterna damnatio.

X.

Spiritus Sanctus a Patre missus in Apostolos, Deus et ipse, qui a Patre eodem Filioque procedit, ipse est qui Ecclesiam a Christo fundatam charismatibus suis sanctificat ad finem usque saeculorum.

XI.

Vox *credulitas* penes Patres Aquilejenses, puta Hermetem, Nicetam, Rufinum etc., idem sonat ac fides, prout virtus Theologica est; quod et penes alios nonnunquam recurrit Latinae Ecclesiae Patres.

EX ETHICA CHRISTIANA

ETIAM SEQUENTIA TUM EX DIVINA SCRIPTURA, TUM EX PATRUM AQUILEJENSIUM OPERIBUS ELUCIDE DEMONSTRARI POSSUNT:

I.

Triplici modo dispescuntur hominum officia, erga Deum nempe, semetipsos, et alios; quod argumentum praecipuum aurei libri Paulini Aquilejensis *De salutaribus Documentis ad Henricum Ducem Forojuliensem.*

II.

Jusjurandum nec rationi, nec revelationi contrarium, Christiano permissum licitumque est; nec unquam, uti nonnulli volunt, illud tollit de medio Chromatius Aquilejensis.

III.

Ea est intima mendacii proprie talis inhonestas ut nunquam possit tamquam licitum defendi; quae optime persequitur Rufinus libro II. Apologiarum contra Hieronymum.

IV.

Sanctum et rationi consentaneum jejunium a Catholica Ecclesia sancitum: quae praecipua Rufini Aquilejensis testificatio.

V.

Meritum bonae actionis in ordine spiritali dimetiri debemus praesertim ex animo, secundum illud Paulini superius memorati: *Deus non quantum, sed qualiter respicit.*

VI.

Eleemosyna ad pauperum inopiam sublevandam verum et expressum praeceptum quoque Legis Evangelicae: de quo una Patrum Aquilejensium vox atque consensio.

VII.

Est castimonia specialis virtus, atque officium status quoque conjugalis: quae duae propositiones optime etiam explanantur a Paulino Aquilejensi in citato libro *De salutaribus Documentis.*

VIII.

Inter Charitatis erga proximum officia et inimicorum dilectio enumeratur; quam firmiter inculcat praesertim Chromatius Sanctus Aquilejensis Ecclesiae Archiepiscopus.

EX DISCIPLINA PASTORALI

I.

Omnia Sacri Pastoris officia rediguntur ad illud Christi *Facere et Docere*: quae eximia est laus Sanctorum Aquilejensium Patrum.

II.

Veritates etiam dogmaticae possunt nonnunquam praebere argumentum Institutionis Pastoralis: et hanc propositionem probant Nicetae Aquilejensis Sermones eloquentissimi.

III.

Ast semper veritates dogmaticae cum moralibus debent conjungi: quod mirum in modum consecutus est Chromatius in suis expolitis Sermonibus.

IV.

Etsi clarus, perspicuus, et omnium captui accommodatus esse debeat Pastorum sermo, nunquam tamen a dignitate abhorrere debet: et exem-

plo sint laudatissima Sancti Chromatii et Nicetae Scripta.

V.

Peculiares Pastorum publice dicendi species seu modi sunt praecipue Catecheses, Homiliae, Sermones, morales Orationes, et Laudationes Sanctorum, quae omnia exquirunt varia eloquentiae genera; quorum omnium exemplaria optima in Patrum Aquilejensium Operibus.

VI.

Sermonis vero cujusque pulchritudo in opportunarum rerum opportuna expositione consistit; quam optime etiam consecuti sunt Aquilejae Patres.

VII.

Pastor in ministerio verbi divini, lingua populi sui propria uti debet; quod fere semper fecere Aquilejenses Patres vale dicto omnibus *citationibus* graecis, hebraicis etc.

VIII.

Sacri Pastores ex occasione Encaeniarum Ecclesiae, publicarum nundinarum etc., argumen-

tum capiant quemadmodum faciebat Chromatius, verba faciendi de Regno Dei ad confluentis populi multitudinem.

IX.

In exercitatione muneris sui Pastor cum christiana lenitate, prudentiam et fortitudinem conjungat: quarum virtutum omninum perillustria exempla extant praecipue in libro Sancti Nicetae *Ad Virginem Lapsam.*

74

ERRATA-CORRIGE

quaererentur, quererentur; *et sic deinceps*	pag. 1	lin. 6
caepit, coepit; *et sic deinceps*	»	15
aut, haud	» 3	25
adjicentibus, adjicientibus	» 4	16
nulli, nullo	» 6	8
relinquum, reliquum	»	9
reditus, redditus	» 6	25
conflentibus, confluentibus	» 9	13
Adamanti, Adamantii	» 10	24
paedicavisse, praedicavisse	» 12	13
virtutes, Virtutes	» 14	5
fides, fidei	» 15	25
fere, ferre	» 16	30
descisseret, desciseeret	» 17	11
praemissa, praemissum	»	27
vitae, vitas	» 19	27
Fumgallii, Fumagallii	» 32	25
Periarcon, Periarchon	» 44	28
tenuas, tenues	» 48	15
signaculi, signaculo	» 49	6
proficisse, profecisse	» 51	12
advenies, adveniens	» 52	6
subjectis, subjecit	»	23
inuere, inurere	» 53	10
ἡσίγαστήν, ἡσυκαστήν	» 58	10
Aquilejense, Aquilejensis	»	24
Rufinus, Rufinum	» 59	6
dormientum, dormientium	» 66	7
Ctesiphonte, Ctesiphon	» 68	13
criminem, crimen	»	12
Idelphonso, Ildephonso	» 71	7
crebesceret, crebresceret	» 73	27
απαθειὺ ἀπαθείαν	» 75	27
Entichetes, Eutiches	» 79	8

Caetera orthographica menda corriget ipse benevolus lector.

276